PAVLI THOMÆ
ENGOLISMENSIS,

RVPELLAIDOS

Siue

DE REBVS GESTIS LVDOVICI XIII. Franc. & Nauarr. Regis inuictissimi

LIBRI VI.



PARISIIS,

Apud CAROLVM MORELLVM, viâ Iacobæâ, ad insigne Fontis.

M. DC. XXX.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

AD P. THOMAM
DE EIVS RVPELLAIDE
ET LVTETIADE SVA
P. Thomæ patrui

EPIGRAMMA.

PARTITI egregium patruusque nepósque laborem,
Patris ego, & nati tu fera bella canis.
Vt patre maiorem LODOICVM fama fatetur;
Maiorem patruo te volo & ipsa ferat.

IN PAVLI ET ALTERIVS PAVLI Thomasiorum Patrui & Nepotis Lutetiadem & Rupellaidem.

EN duo Thomasij patruusque nepósque poëtæ,
Hic nati, ille patris Borbonidûm arma canunt.
Carmina Carminibus certant, facta inclyta factis,
Cui Regum & Vatum maior habendus honos.
Iudicij stet libra anceps; tam sanguine iunctis
Ambiguum seruent Mars & Apollo decus.
Quin immo, patre ac patruo cedentibus vltro,
Accipiant palmam Filius atque Nepos.

T. P.

IN PAVLI THOMÆ ENGOLISMENSIS Poëtæ Rupellaidem,

EPIGRAMMA.

CVM me docta iuuat Rupellais ista legentem,
Erumpo in tales voce stupente modos.
Pergama vos iterum video expugnata, rebellis
Dum Rupella graui sub Duce victa cadit.
Pergama vos iterum video cantata Maroni,
Dum Rupellais hæc Engolimæa canit.

I. P.

A MONSIEVR THOMAS, ESCVIER, SIEVR des Maisonnettes, Conseiller du Roy au siege Presidial d'Engoumois, sur son œuure de la Rochelle.

QVEL iadis de tous nos Monarques
Eut peu malgré le fer des Parques
Suruiure la posterité?
Si les neuf filles de Memoire
N'eussent mis dans l'Eternité
Leurs actions dignes de gloire.

Sans elles les plus nobles gestes,
Par l'orgueil des siecles funestes,
Sous le cercueil seroient gisans;
Et des lieux mortels où nous sommes,
La vertu qui franchit les ans,
N'eust peu deïfier les hommes.

Sur l'aile de ta poësie,
Thomas, que la Muse a choisie
Comme vne merueille en nos iours,
Les faicts de LOVIS nostre Alcide
Forceront l'audace & le cours
Du destin & du temps auide.

Le ciel te debuoit à ses armes
Pour chanter ses iustes allarmes
Et ses heroïques combas.
Les bouches des autres Poëtes
Auoient pour luy le ton trop bas
Ou bien du tout estoient muettes.

DES RIVAVX.

A MONSIEVR THOMAS
ſur les conqueſtes du Roy.

PVISSANT demon de l'eloquence,
Thomas, qui d'vn vers orgueilleux
Chantes les exploits merueilleux
Du Monarque de noſtre France.
Ie confeſſe que ce grand Roy
N'a rien qui ſoit pareil à ſoy,
Et qu'ayant forcé les obſtacles
Qui pouuoient borner ſes deſſeins,
Ses faits ont eſté des miracles
Pour eſtonner tous ſes voiſins.
Il eſt vray, diſ-ie, que ſa gloire
Me donne de l'eſtonnement,
Qu'elle ſe fait vn monument
Dedans le temple de memoire:
Mais il faut aduoüer auſſi
Que tes vers meritent icy
Des loüanges preſque pareilles:
Car i'y deſcouure en mille endroits
Tout autant de rares merueilles,
Qu'i'en treuue dans ſes exploits.

DV VERDIER.

GVLIELMVS SOSSIVS.

FOELICITAS scribentium magna, sæclo Principum magnanimorum viuere. Nam quicquid attentas scribere, si per se humile est, frustra magnificè narras. Hæc poëtæ istius fœlicitas, ab argumento excelso: sed argumentum huius operis vanus sum si commendo, nam in ipsâ poësi leges digna sublimi Principe. Summa vicissim Dominantis fœlicitas, ætate subtilissimi scriptoris vincere: nec satis mihi perspicuum fœlicior vter, scriptor, an imperator. id problema diligenter examinaui, in libro de Historiæ Numine, parte ferè extremâ. atqui in opere isto Rupellaidos nitidissimo, videbis non simplex carmen, aut nudam historiam, vt in Lucano, & Silio: poësim deprehendes fictione variâ adornatam, in verâ re. si eâ tantùm poëtices virtute clareret Thomas, esset nihilominùs hâc ætate censendus vatum maximus: quia præter istam in poëticâ humanæ industriæ perfectionem, nil agnoscunt poëtarum filij, si qui nunc viuunt. attamen quis nunc attingit virtutem tantam? multi qui canunt: at ipsorum versus micant in argutiolis, scintillant, non flammant. vbi furor ille diuinus, cuius raptu trahuntur humana cælestiaque mixtim, nec confusè? cuius vi non vera fictis corrumpuntur: sed vera concinnantur figuratione

multâ : & cuncta quæ suscipit mens hominum, fulgent distinctione gemmeâ, tametsi per furorem. canunt hodiernorum poëtarum quidam multa, singula breuiusculè : μικρόψυχοι, & suspiriosi, in apicem Helicônis non conscendent: ni tibi altum pectus, ingensque spiritus, ad terribilem ascensum ne quidem accedito. sed ausus est Author iste excellens præterea aliquid, & rarum : quod vel incognitum huic æuo, vel inusitatum. poësis enim verè Heroïca, qualis Homerica : præter fictionis ingenium, & carminis elegantiam, est in circulo: viget ἐν κύκλῳ totus poëtices animus. sic sentit Aristoteles : sic hodie seuerus quidam Criticus. at quia admirandus est huius operis circulus, animaduerte deteriore hâc ætate, fieri aliquid antiquum, seu altum. tua postremò est fœlicitas, ô Lector, versare poësim lepidissimam : siquidem vix rupit moras author : coactusque sparsit in publicum libros non publicos. ostentari fugiunt magnæ animæ, vel tædio æui sophistici, vel profunditate studij. Superbiùs possem in amici causâ dicere, non sapientiùs. Vale tu, qui Rupellaida leges : & crede summum dedecus, in desidiâ. te quoque dignum finge cælo.

PAVLI

PAVLI THOMÆ
ENGOLISMENSIS,
RVPELLAIDOS
LIBER PRIMVS.

FORTIA facta cano LODOICI, vrbisque potentis
Ortumque, interitumque, breuique in flore vigorem
Rupellæ, immensisque gemens sub classibus æquor,
Suppositumque iugo constructis molibus ipsum
Oceanum, euersas vrbes, domitosque rebelles,
Bisque triumphatos ingenti clade Britannos.
Ipse faue cœptis magnorum maxime Regum,
Nate Deo, atque aucture Deos altaribus olim,
Siue suis habeat populosa Lutetia muris,

Seu blandæ te fontis aquæ; seu pondera rerum
Sollicitent, recreentve canum oblectamina mentem,
Dum sequeris ceruos, vel apros in retia pellis.
Quidquid agis, nostro facilis LODOICE *labori*
Aspira, tibi surgit opus, tibi Phœbus, & omnis
Apparat æternos Pimplæa caterua triumphos.
Oceani decus, vrbs populis opibusque beata
Littore Aquitano surgit Rupella, colonis
Olim culta, quibus vitam tolerare per algam
Ars erat, & tacitos captare per æquora pisces.
Exiguis habitata casis, nullo ardua muro,
Ac tantum sinus, & breuibus statio hospita cymbis,
Quam summo æquarat iam Galla potentia cœlo.
Assurgunt geminæ diuerso in littore turres,
Aeriæ, ingentes, spatio quas inter aperto,
Quo binæ subeant coniunctis frontibus alni,
Sternitur Oceano & ratibus via mollis in vrbem.
Portus ab his surgens media sinuatur in vrbe
Turribus, ille capax numerosæ classis, & omni
Molibus obiectis ventorum à flamine tutus.
Inuitis sed enim ne ciuibus vlla feratur
In portum puppis, turri ex vtraque patentem
Ferrea præcludit suspensa catena meatum,
Ingens, & crasso longè conserta metallo;
Vis vt nulla virûm, non impetus vllus aquarum,
Nec validè impacti valeat conuellere rostri.
Ordine tum longo densæ per mœnia moles
Surgebant, quas bina palus vtrinque tegebat,
Exoritur quà sol, & quà se condit in vndas.

Sic tenui tantum Rupella ab origine creuit,
Et pelago immiſit claſſes, portuque recepit
Immuni aduectas quocunque ex cardine merces,
Propenſum alliciens Regum officioſa fauorem.
Tandem animis opibuſq; tumens, nam & proſpera mentem
Euertunt, patrios cultus rituſque vetuſtos
Dedicitque, hæſitque nouis, & iura negauit
Regia, ſeruitio iam tunc exire parata.
Non tulit ingrati populi ſcelus, auſaque dira
Carolus, Andegauum raptis fratrem imperat armis
Caſtigare viros, meritaque inuoluere clade.
Ille ferox animi tormentis pulſat ahenis
Mœnia, & innumero deturbat fulmine turres,
Militeque immiſſo nouies illatus in vrbem,
Depulſus nouies ingenti ſtrage receſsit.
Iam quinos caſtris menſes conſederat, ingens
Excidium, & miſeræ opperiens fata vltima gentis.
Illum cùm miſſo diademate Sarmata Regem
Optauit ſibi, Rupellæque aſciuit ab oris,
Et Martis graue ſoluit opus. Rupella ſecundis
Sæuior, & tantis iam demum erepta periclis
Induit ingentes animos, collapſa reponit
Mœnia, & immani veteres munimine muros
Præterea, foſsiſque altis, atque aggere cingit.
Iamque minax cœlo caput infert, tutaque mole
Stat vaſta, ceruice iugum excuſſura rebelli,
Arx columenque potens, rabies quibus arma miniſtrat,
Vanaque relligio mentes habet. Illa recenti
Clade ſua, & partis ſociæ furiata ruina

Spemque metumque inter dubia se in pace gerebat.
Sicut vbi Hesperia latuit sol mersus in vnda,
Nec dum nox mundo incubuit, tempusque diei
Ambiguum noctisque manet; sed pronior instat
Hora die Cœlum victo obductura tenebris.
Aut velut æquato cùm stant examine lances,
Depressa iniecto pars altera pondere vergit.
Vrgebat pudor attonitam, Retensis arenæ
Pugna mouet, turpisque amissæ infamia claßis,
Sublimísque suis impendens mœnibus agger.
Sisyphus immanis premitur ceu pondere saxi;
Aut velut imposita Enceladus fremit obrutus Ætna;
Æthereumque humeris axem qui sustinet Atlas.
Regia sic moles Rupellam vrgebat; at illa
Arcis ad inuisæ excidium, pacemque petendam
Jusserat ire viros iamdudum ad Regia tecta,
Inque dies reditum opperiens incerta fremebat.
Cùm ferus vmbrarum custos, hominum ira Deûmque,
Jngemuit, totumque fremens commouit Auernum
Rupellæ intentus curis, quam cultibus esse
Illicitis sedem tendebat, & inde nefandos
Inspirare animis ritus, Gallumque per orbem
Spargere, & æterno regnum fœdare veneno.
Vertendos sed enim supremo à culmine muros
Audierat, veterique olim pietate reposta
Sublimes hominum mentes super æthera ituras.
Id metuens, partisque suæ, imperijque ruinam,
Concilium vocat, atque inamœna monstra paludis,
Terribilesque erebi formas, & numina dira.

Est locus in tantos terræ depressus hiatus,
Panditur æthereum quantus suspectus ad axem.
Pallentes habitant vmbræ, quas æthere ab alto
Detrusit cupidæ damnosa superbia mentis,
Quæ medijs etiamnum animos tumefactaque seruant
Corda rogis, summíque affectant patris honores.
Quæ genus humanum insidijs & fraude maligna
Opprimere, æternisque odijs exscindere certant.
Erigitur medio domus immansueta sub orco,
Ferrea, nigranti squallent ferrugine postes,
Ferrea compago laterum, stant limina ferro,
Ferrea ferratæ sustentant tecta columnæ.
Tartarei spelunca ducis; lux omnis ab illa
Pulsa fugit, nullus pulchro sol lumine lustrat,
Sed tenebris & perpetua nox opprimit vmbra.
Postquam erebi pestes sæua intra tecta tyranni
Consedere sui, spumosum os ille, & hiatus
Immanes aperit, sonituque immugijt alto,
Quo mare, quo terras, & manes perculit imos.
Ille ego qui summo quondam pugnare Tonanti
Ausus, & imperium mundi sperare supremi.
Quem fortuna licet supero deiecerit axe,
Attamen agnoscit dominum tellusque, Chaosque,
Tartaraque, obscuræque domus, vmbræque silentes.
Iam verò sceptro excutior, profugumque latebras
Quærere Rex adigit Gallus. Quid spargere bella,
Quid toties vario Gallos miscere tumultu
Profuit, & totum per mutua vulnera regnum
Vertere? quid cæcas populis innectere fraudes,

Cumque aris veterum ritus abolere sacrorum?
Exhaustus periit labor, aut mea numina tandem
Fessa iacent, omnesve odiorum extinximus ignes.
Vnus homo obstabit nostris successibus? vnus
Centum vrbes cursim eripiet, nostraque superba
Rupellæ murum arce premet securus, inultus?
O genus inuisum, & nostra iam nobile clade
Ductoris nomen Galli! non arduus agger,
Non illum terrent acies, non æquoris vndæ.
Ergone nos cessare decet, victosque fateri?
Quin magis inuictis animis coniungere vires,
Et properamus opis Stygiæ sociare quod vsquam est?
Seu quos ignea vis agitat, quive aëra miscent,
Æquora qui terrasve colunt, antrisque resident
Tænareis, & qui solem astrorumque perosi
Lumina in æterna caligine ducitis æuum:
Ferte faces, armate manus, miscete tumultus,
Instaurate acies, voltus vos vertite in omnes,
Vestra laboranti succurrat dextera sceptro.
Tuque ô Tisiphone pallentis gloria regni,
Si gentes tibi dulce fuit turbare quietas,
Si prolem patribus committere, sæua flagellum
Arripe, & horrisonis fera tempora cinge colubris.
Duc acies, innecte dolos, fœcundaque fraudis
Corda moue, insidiasque omnes, fere semina belli.
Incute vim populis, Gallis immitte Britannos,
Inque vicem Gallos, nostramque vlciscere causam.
Dixerat. attremuere omnes, ceu turbine magno
Cum ruit Æthiopum in Pharias de montibus oras

Nilus, & insana per rupes infremit unda,
Antra procul vallesque gemunt, stupet accola tantos
Accipiens sonitus, seque obsurdescere ab amne.
Lampada iam sæuæ quatiunt, hydrosque sorores
In bellum irritant, torquet flammantia Gorgo
Lumina, & exuitur pubes Titania vinclis,
Ægæonque manus rotat in certamina centum.
Iraque, insidiæque ruunt, luctusque, pauorque,
Vltioque, & densa properant longo agmine mortes.
Omnis sydereum stygis exit turba sub axem.
Sensit, & obscuro faciem velauit amictu
Phœbus, & in fontes egerunt flumina cursus.
Rupellam vt primùm cinxit, tortoque flagello
Tisiphone insonuit furiarum maxima, voltus
Exuit horrendos, & sese vertit in ora
Falsa viri, æternæ legis qui oracla profanans
Mendaci populos sub relligione coercet.
Tum turbæ sic mista refert, & suscitat iras.
Quid dubiæ ludit nos pacis imago? quis vrget
Spiritus, & positis quid sic subsistimus armis?
Rex equidem pepigit fœdus, dum tempore certo
Subijciatque iugo populos, atque expleat iras.
Heu quam vana fides, pacis quàm futile fœdus!
Iam quartus vestris arcem ceruicibus annus
Impendere videt, iactoque assurgere vallo.
Erepta classes, Retensis ripa tenetur
Præsidio, faucesque freti; vix mœnia restant.
Campos miles habet, campos prædator inundat,
Et petit insidijs, ferrumque intentat & ignes.

Cingimur in media pace, & præteximur armis.
Quis varias clades sociorum & funera fando
Explicet, & versis lacera oppida fundamentis,
Milite vel dominata truci? sors omnibus vna,
Exuimurque bonis, legesque subimus iniquas.
Denique quid miseris superest: sternuntur vbique,
Suppositisve sacræ collucent ignibus ædes.
Nec pudet, infandum, manes vexare sepultos,
Ossaque nostrorum campis inhumata parentum
Proijcere, & placidam functorum abrumpere pacem.
Si querimur, surdas Rex fletibus obstruit aures,
Si taciti vocem premimus, grauiora sequuntur
Supplicia, & captas nequicquam plangimus vrbes.
Tigris vti nunquam ponit maculosa furorem,
Sic nullis nostri mitescunt artibus hostes.
Iustitiam orantes lædunt, & sola nocentes
Relligio facit, hæc labes est prima malorum,
Nec nobis licet esse pios, suspectaque Regem
Libertas populi & Rupellæ mœnia torquent.
Nec res in melius referet mutabilis æui
Longa dies, odijs in nos certatur acerbis.
Vna salus miseris bello defendere auorum
Sanguine res partas, & magno cuncta tumultu
Miscere, ac iugulis intenta retundere tela.
Frangimur heu fatis! pro relligione parentum,
Proque anima nostra, pro libertate nepotum,
Quæramus pulchram vnanimes per vulnera mortem.
Hæc vbi dicta dedit, subitus fragor occupat ora,
Turbatisque animis Rupellæ infrenduit omne

Concilium;

Concilium; rapido veluti cum flumine torrens
Oppositas ruit in rupes, clausoque refusus
Gurgite, spumanti crepitans immurmurat vnda.
Hos inter motus Gallorum Regis ab aula
Mœsti oratores redeunt, tristique fatentur
Nil habitu valuisse preces. ruit agmine facto
Obuius ad famam populus, prensatque, tenetque,
Innectitque moram, & Regis responsa reposcit.
Maximus hæc æuo post iussa silentia fatur.
Vidimus, ô ciues, Regem, ipsiusque voluti
Ante pedes, culpæ motusque poposcimus omnis
Suppliciter tristes veniam, exscindique malorum
Et caput & causam, diram hanc orauimus arcem,
Et pacem sociis, nostræ ac concedier vrbi.
Auditos contra duro sic increpat ore:
Heu stirpem inuisam, & nostris contraria sceptris
Pectora, quos tandem socios prætenditis? omnes
Damnatæ in regno partes, & ciuibus ingens
Est scelus, inuito socios sibi quærere Rege.
Vos solos propriæ decet inuigilare saluti.
Regia sed quantum vestris clementia præstet
Discite criminibus; veniam pacemque referte,
Parcimus ingrato populo, & miserescimus vltro.
Ne tamen æternùm indocilis, solitoque furore
Fluctuet, ancipitesque procax mutetur ad auras:
Arx nostro stabit de nomine dicta, nec vlla
Vestro classis erit portu, qua Nerea magnum
Sulcantes pelago prædas reuehatis ab omni.
Retensi pariter statuetur littore tutum

Præsidium, externos regni munimen in hostes.
Legibus his placidi securam ducite vitam
Seditione procul, nostrisque assuescite iussis.
His nos responsis Rex vestra ad tecta remisit.
Vix ea legati. Subicit fera pestis Auerni:
Egregiam verò pacem & blanda otia, Ciues,
Legati referunt; securi ducite somnos,
Cessent excubiæ, studia intermittite belli;
Hostibus vt pateant freta scilicet, vtque repente
Præsidium incumbens sumptis vos opprimat armis.
Namque velut moles, qua concidit Ilia tellus,
Dardanios pubem in muros, aciemque superbam
Effudit, vestræ veniet sic desuper vrbi
Præsidium hoc, paribusque dabit vasta omnia fatis.
Quàm male saltibus in medijs statuuntur ouili
Septa, feras inter densas, turbamque luporum:
Sic medijs æuum peragetis in hostibus, omnes
Solliciti maris ad motus, auraque susurros,
Soli, inopes rerum, socijs procul, omnis egentes
Auxilij, æternaque hostis formidine pressi.
Quàm melius, dum fata sinunt, euadere damno
Protinus, & patriam sæuis arcere periclis.
En vester dux magnanimos apud exulat Anglos
Subbisius, superum numen vestrasque tueri
Ausus opes pelago. Quid si vos propter in illas
Misit eum fortuna plagas, illoque ministro
Præstantis populi parat exorare fauorem;
Audete, & certum quà sors alterna salutis
Pandit iter, cursum rapite, auxiliumque vocate.

Ipse subibo oneri, si sic optatis, & vltro
Experiar pelagique vices, Austrique procellas.
Nec numen deerit placito immortale labori.
Dixerat. & stimulos ingentes addit Erinnys
Concilio, penitusque faces in viscera mergit.
Sicut vbi candens spumanti lamina aheno
Inijcitur, sonat vnda, vaporque exultat in auras.
Sic agitur, totisque haurit penetralibus ignem
Rupella, irarumque graui succenditur æstu.
Arma fremit, ferrique rigor, bellique tumultus
Fixi hærent animo, raucus iam verberat aures
Clangor, & oblatæ subeunt fastidia pacis.
Torquet amor belli, pestis sedet improba venis,
Subbisium inclamant cuncti, votisque fatigant
Absentem, auxiliumque rogant ambire Britannum.
Ille decus patriæ, columenque, salusque, parensque
Audit, & in laudes ætas effunditur omnis,
Quem fuerat toties ante execrata fugacem,
Proque secuta odiis. tanta inconstantia vulgi est.
Vt satis incaluit furijs Rupella, minaxque
Spiritus intus agit: bisdenos deligit omni
Vrbe oratores, quos longa per æquora vectos
Subbisium petere, & genibus prouoluier Anglis
Imperat, accisis & opem deposcere rebus.
Nunc age qui casus Erato, quæ fata Britanno
Subbisium admouêre solo, quid nobilis exul
Externo patrium mutauit sydere cælum,
Expediam, mihi Diua faue, causasque retexe.
Armorica regione fuit domus inclyta, ab alto

Sanguine Francorum, qui primi Gallica rura
Viribus obtinuere suis; ac Regibus ipsis
Multiplici affinis thalamo, genus vnde trahebant
Egregium gemini, procerum par nobile, fratres.
Fœlices nimium, magnos nisi falsa teneret
Relligio, ambitioque animos vęsana moueret.
Illorum maior gentis titulumque gerebat
Et nomen Rohanus, vastę rupem ille Gebennę,
Tectosagasque in bella ferox Volcasque ciebat.
Alter materna nomen ducebat ab arce
Subbisius, placidis lambit quam argenteus vndis,
Qua sese Oceano pulchro amne Carantonus infert.
Isque parum lętis quamuis successibus arma
Mouisset pridem, gemino bis Marte fugatus,
Rupellam tamen atque Aquitanę robora pubis
In bellum irritans, spe pręda vrebat opimę.
Forte sinu Armorico, Galli dixere Blauetum,
Regia sidebat classis, nec dente tenebant
Subductas vincla vlla rates, non ardua miles
Transtra tuebatur, pontum pax vndique habebat.
Certus at audaci nomen sibi quęrere facto
Subbisius, belli fomes, populique quietem
Excutere; actorum seu famam abolere priorum
Sollicitus, seu Martis amor, laudisque cupido,
Seu dolor imposita Rupellę tangeret arcis;
Quidquid id est; statuit vacuas inuadere puppes.
Qualis percussus rigido canis ilia saxo
Frendet, & in rupis consumit fragmine dentes.
Tempora sors aperit cùm magnę accommoda fraudi.

Urbs fuit ad Mercam Belgarum in finibus amnem,
Arce potens, populisque frequens, opibusque beata,
Nassouiæ quondam Breda sedes inclyta gentis.
Hanc Bataui ereptam Belgis ditione tenebant;
Iam quintum hanc mensem dura obsidione premebat
Fortis Iber, populumque fame expugnare parabat,
Obiectu sudium, constructoque aggere circum.
Ergo Subbisius Batauis se cogere fingens
Auxilium, instructusque dolis subitisque carinis
Armoricam inuadit, natalis limina terræ,
Tracturus patriam in partes, si fata secundent.
Ira furorque animos augent, & copia prædæ.
Ac viduo custode velut cùm insurgit ouili
Ieiuno ore lupus, timidum secat improbus vnco
Dente gregem, explerique nequit, roratque cruore.
Sic rapitur, totaque furit bacchatus arena,
Oppidulique fores, augusti & limina templi
Perrumpit, Diuûmque sacros incestat honores.
Ipsa etiam quæ adytis magnoque recondita cultu,
Impius humanæ mysteria summa salutis
Miles spargit humi, & sceleratis calcibus vrget.
O furor infandus, nullisque piabile sacris
Prodigium! quod terra, salum, atque exhorruit æther.
Impietas equidem non impunita manebit
Tanta diu; diuina premet mox ira profanos,
Obijcietque feris, auibusque voracibus escam.
At tanto scelere ille tumens, captoque potitus
Oppidulo, muros arcis tentare propinquæ
Tormentis parat, & ducto circundare vallo.

Præsidij nisi cura vigil, totaque repente
Collecti Armorica populi tela obuia ferrent.
Ille ferox relegit securis æquora velis,
Classis & abductæ spoliis, ruptaque superbus
Pace petit portum Rupellæ, exceptus amicè.
Tum socios qui stare foris, qui carbasa norint
Tendere, & expertos cura est adiungere nautas.
Conueniunt, quos præteritæ mala crimina vitæ,
Cædesque, insidiæque, & amor malesanus habendi,
Et quos res angusta domi, vel creditor vrget.
Præcipiti volat actus equo, sectisque viarum
Puluerulentus adest spatijs, Regique reportat
Nuntius ereptam classem, portumque subactum
Subbisij furto. Rex implacabilis ardet,
Ac secum: Nostra infidos clementia ciues
Asperat, audacesque remissa piacula reddunt?
Obuius ille mihi iam bis stetit, impius arma
Bis contra tulit, & populos in bella coegit;
Bis veniam oranti bonus, ingratoque peperci.
Mansuetum esse nocet. Maiestas spernitur, iræ
Quæ nimium parcit. meritas post crimina tanta
Exigor in pœnas; toties peccasse nefandum est.
Faxo non impune ferat, nec desore syluas
In classem faxo, campis non agmina discat.
Talia Rex. magnisque cadunt iam robora iussis,
Sternitur omne solum arboribus, nemorumque ruina:
Syluæ omnis decrescit honos, & gloria saltus;
Vmbræ abeunt, nudique vident vaga sydera colles.
Despicit at subitæ fidens molimina classis

Subbiſius, ſceleriq; nouis ſcelus adycit auſis.
Oceani tractus, fluuiorumque occupat ora,
Mercibus & ſpoliiſque ſuos ingentibus implet.
Qualis vbi ingenuum violauit virgo pudorem,
Inſanit generis decoriſque oblita, vagoſque
Currit in amplexus, animoſque à crimine ſumit.
Longus Aquitanum Medulorum campus in æquor
Porrigitur, pelago quà mergitur vnda Garumnæ.
His belli ſecura locis, aſſueta labori,
Gens milio male paſta ſedet, vix dona Lyæi,
Vix Cererem carpens, hoſpes ſitientis arenæ;
At diues pecoris, piceâque educere docta
Sudantem humorem, & tædas tractare tenaces.
Huc auidus prædæ ille ſubit; ripaque potitus,
Quidquid erat ſtabulis armenti, quidquid & agris,
Quidquid compoſitis opibus, vigiliſque pararat
Parcens agricolæ parto manus, omnia tollit.
Et iam fama volans audacis nuntia facti
Venerat ad Regem, magnaque impleuerat ira.
Quippe pater populi duris magis ille ſuorum
Caſibus afficitur, propriæ quàm verbere ſortis.
Ergo agitat pœnas animo, incenſuſque recenti
Subbiſij ſcelere, Icciaca quæ ſtabat arena
Structa, parata viæ, ferri iubet æquore claſſem.
Delecti occurrunt florenti pube Caletæ,
Quos Geſſoriacum littus, quos Somona riuo
Lambit, & æquoreæ miſiſtis rura Dieppæ.
Normanis ter mille vnà comitantur ab oris
Experti belli iuuenes, quos inclyta paſcit

Rotomagus, populique alto quos irrigat alueo
Sequana, magnorum nomenque extollit auorum.
Namque Lycaonio ingentes dicuntur ab axe
Aduenisse viri, & vastato limite Gallo
His sedes posuisse locis ex fœdere, postquam
Regia virgo duci Dano sociata fuisset.
Londinum hinc Tamesimque ferunt superasse Britannum;
Hinc Calabros penetrasse sinus, quaque Appulus arua
Læta colit, quà clara Neapolis erigit arces.
Quorum bis dena nunc ibant puppe nepotes,
Fortibus aucturi factis decora alta parentum.
Nannetes, & quos Ligeris pulcherrimus ambit,
Et bello fortes Veneti, extremique Briuates
Agmen agunt bis mille virûm. dat Regis at aula
Quingentos, genere insignes, armisque, manuque,
His se dant comites Melitææ gloria gentis
Mantius, indomitum aduersus concurrere Turcam
Ausus; & insignis Rasilius, ille patentem
Oceanum emensus tingi Arctos æquore vidit,
Miratusque nouos ignes, noua sydera, & Austros,
Ignoto prædam amplam conuectauit ab orbe.
Bis denas etiam Batauo de littore puppes
Rex Gallus iuuenesque ciet, quibus vnica cura est
Moliri campis acies, quatere oppida bello,
Nosse vias cœli & pelagi, perque omnia vectos
Æquora, & Hesperijs classes immittere & Indis.
At totam imperio classem Momorantius heros
Dirigit, & genere antiquo præclarus & armis,
Præfectusque mari, regnum quod lambit, vtrique.

Præuersurus

Tres equitum ille sua numerat de gente magistros,
Prauersurus auos olim immortalibus ausis,
Signaque multa rapit patria de valle feracis.
Conscius at sibi Subbisius, metuensque futuri
Supplicij maiora parat, sedet arte, doloque,
Ferroque, & flammis venientem auertere pestem.
Nigrantis picea pondus, tædasque tenaces,
Iuniperique legit lacrymas, arentia iungit
Nutrimenta ignis, naphthamque, & sulphura viua.
Additur & Solymâ veniens de gente bitumen,
Quique Cyrenaicis sal induratur arenis,
Indaque qua stillat sudanti gutta Caphura.
Materiem terit, & tenui de puluere surgit
Massa leuis. post lini oleum de semine raptum
Congerit, effusumque cauo demittit aheno.
Ignis suggeritur costis, iam palpitat intus
Feruida vis olei; flamma leuia inijcit ille
Semina, & artificij versat simul omnia dextrâ.
Creditur hanc nullo restingui flumine posse
Materiem incensam, viresque acquirere ab vndis.
Tresque huius radios apponere Mulciber ignis
Dicitur, Ætnæi formant cùm fulmina fratres.
Vt primùm specula Oceanum explorator ab alta
Turbari monuit, celeresque adnare carinas;
Fomite Subbisius tanto flammisque superbus
Classem onerat, firmatque foros, & milite complet,
Hortaturque viros pro relligione parentum,
Proque anima certare acres, patriæque salute.
Se defensurum Retenses admonet agros,

Auxilioque, premat si sors aduersa, futurum.
Rupellæ prætenta sinu, quæ prima furentis
Excipit Oceani fluctus, irasque coërcet,
A miseris sortita reis iacet insula nomen.
Hanc belli sedem tristi delegerat ille
Omine, & ingentem moliri cœperat arcem;
Hinc prædis infame fretum reddebat, & omni
Spargebat bellum pelago: sua littore ab illo
Soluere vela iubet, Regisque occurrere classi.
Centena pontum tenet hostis puppe, ratemque,
Principium belli, Bataui ductoris adortus
Alligat, immittitque faces, licet alta teneret
Transtra virûm generosa manus, tubulisq; tonarent
Æra quaterdenis. Vortex ad sydera fertur
Fumidus, & puppi late diffunditur ignis.
Hi ratis incensæ flammas restinguere aceto
Conantur vel aquis, crudo vel tergore tauri,
Nequicquam. Superant flammæ, depascitur omnia
Ignis edax, animam fumi vis eripit atri.
Quod superest, toto Batauus se corpore mittit
Præcipitem, sociisque viam per cærula pandit.
Fulminat at contra Momorantius, vndique densæ
Concurrunt, miraque acies nituntur opum vi.
Supplicij hanc horror meriti, effugiumq; propinquum
Excitat, & validæ numero potiore carinæ.
Hæc causa meliore valet, dant æquora ventos
A puppi, Gallæque fauet fortuna coronæ.
Non secus infensis vacuum per inane procellis
Confligunt Boreasque furens & turbidus Auster.

Illi indignantes magno molimine nimbos
Contorquent, hyememque graui ſtridore coruſcant,
Intremuere poli, piceis micat ignibus æther.
Inſtat vi ſolita clarus Momorantius, ardent
In bellum Bataui, & puppim ſocioſque repoſcunt
Amiſſos flammis, pelagus tonat omne fragore.
Non ſic grando ruit, non tot lauat æquor arenas,
Quot vibrant tormenta pilas, quot carbaſa glandes
Immiſſæ lacerant, tegit æquora ferreus imber.
His fractæ pendent puppes, proræque reuulſæ,
Hæ ruptis trabium accipiunt compagibus vndas,
Diſiectiſque rates nutant in gurgite malis.
Haud procul infamis ſcopulis, dorſoque latenti,
Syrtis erat, medioque breuis via gurgite; claſſem
Hac agit, & nota regione elabitur hoſtis.
Regius in Syrtes ductor ruit, ardua namque
Virtutem accendunt, & creſcit fama periclis.
At ne vel breuibus cæciſque illiſa perirent
Regia roſtra vadis, fama eſt ſubito æquora fluctu
Vndaſſe, & tumido claſſem vexiſſe profundo.
Solaque iam claßis princeps hoſtilis arenæ
Aggere cincta manet, breuibuſque illiſa reſiſtit.
Illa quidem Armorica fuerat ſubducta rapina,
Virginis oſtentans depicto robore numen.
Quatuor hanc celeres victrici ex agmine puppes
Diuerſæ circumſiſtunt, dentemque tenacem
Inijciunt, iam iamque tenent. At perfidus hoſtis
Ima nitratum ſulphur quod naue latebat,
Incendit; crepitant flammæ, concuſſaque pinus

Frangitur in medijs, glacies ceu futilis, vndis.
Fragmina in aduersas nitri violentia cymbas
Torquet, & abstrusas trabium scrutata latebras
Sulphureos pariter cineres accendit; at illæ
Dissiliunt sonitu ingenti, lateque ruinam
Dant nitro superante trabes, ruptaque fatiscunt.
Qualiter anfractus conuexaque Circius antra
Cum subit, & vastis supponit terga cauernis,
Totis connixus luctatur viribus, vrbes
Deijcit impositas, montanaque viscera spargit.
Sic validas nitrum pinus, tabulataque iactat
Omnia, sic medijs victorem exponit in vndis.
Tantaque lugubri indoluit victoria casu.
Jnterea Engolimis Rupifulcaldus ab oris,
Idem Pictonici Dux limitis, insula portu
Quà facili patet, aduertit longo ordine proras.
Illi Santonicis Sanlucius acer arenis
It comes, & fortis Thorassius, æra tribunus
Campana legione merens, magnisque futurum
Nobile post factis nomen. termille sequuntur
Hos ferro assueti iuuenes, manus inclyta bello.
Præripit at portum, & sese venientibus offert
Subbisius; qualis metuens cùm fœtibus ales
Agnouit sonitum volitantis in aëre milui,
Clamat, & arguta demissas voce sub alas
Progeniem inuitans, alto fremit ardua collo,
Horridaque in plumis sese fert obuia Marti.
Impellunt illi puppes, iam carbasa siccum
Littus arant, tutaque sedent statione carinæ.

Pontibus exponit socios Dux Regius, ardet
Subbisius contra, & primo de littore pugna est.
Audaci miles saltu sese omnibus armis
In freta dat, medioque mari se corpore mergit.
Fertur in aduersos rapidus, primosque trucidat
Agminis infensi, & sicco iam in littore certat.
Nec virtus se deinde capit, succinctaque ferro
Emicat, & vallo tormentisque exuit hostem.
Qualiter assurgens multa cum grandine nimbus
Funditur, abruptumque Alpino è vertice saxum
Præcipitat lætas segetes, pinusque reuulsas
Conterit, & latis longè fragor intonat aruis.
Te ne ego Santonicæ gentis fortissime Cossi
Transierim? primus qui longa fortiter hostes
Abiete transadigis, fuluaque extendis arena.
Te manet illustris, dum Gallica sceptra vigebunt,
Gloria, & æternis regni memorabere fastis.
Ille quaterdena lacer artus cuspide, & ipsum
Extinctus plumbo lumen, magnum ire periclis
Ad decus, & vita gaudet sibi quærere nomen.
Qualis aper iuuenum longe fallente sagitta
Saucius, erectis setis, atque ore cruento
Sanguineam voluens aciem ruit, omnia dente
Fulmineo quatiens, grauiusque in morte resistit.
Haud secus attonitos vrget, ferroque fatigat
Cossius, insistat captis dum victor arenis.
Subbisium amissi portus iniuria mouit,
Colligit irarum fluctus, subit vndique magno
Insula subsidio, ratibusque elapsa iuuentus

Jungit opes, vnaque equitum breuis aduolat ala.
It sæuum campis agmen, densisque propinquat
Hostibus. incursu primo leuia arma fugantur.
Dat cædes animos, totis magis ac magis horror
Increbrescit agris, acies vix Regia contra
Stare valet, gemini vertunt trepida arma manipli.
Aduolat ad famam Rupifulcaldus, & ira
Ac multo ære grauis sese fugientibus offert.
O Gallæ, neque enim Galli, quo tenditis? inquit,
Quis terror, quæ pestis agit, quid denique restat?
State viri, cohibete fugam, atque aduertite vultus,
Idem hostis, prima quem iam pepulistis arena.
Dixerat, & longum crispans hastile rebelles
In medios ruit, & versis mouet agmina signis.
Insequitur, bellaxque rapit Thoraßius agmen,
Instauratque acies, ac contis proruit hostes.
Tempestas sæuit per agros, totoque labores
Æquantur campo, dubijs Mars errat in armis.
Quales diuersi incurrunt vasto æthere venti,
Inque vicem cœlum pulsant, nubesque, nec alter
Viribus alterius, vacuo nec cedit inani.
Aut veluti flauæ incendit quos ramus oliuæ,
Pisæa pugiles meditantur prælia arena,
Inducunt manibus cæstus, & brachia crudis
Intendunt tergis, variisque, assultibus instant
Arrecti in digitos; palmis nunc tempora pulsant,
Nunc latera, ingeminantque ictus, nullusque remittit.
Sic dextras glomerant acies, alternaque iactant
Vulnera, sic totis concurrunt agmina signis.

Obliquet læuum donec Sanlucius agmen
In latus, & pulsos hostes agat æquore toto.
Inclinare aciem simul ac laxataque sensit
Signa referre pedem, pestis quæ suaserat arma
Subbisio, campos eadem caligine opacat
Protinus, obscuroque rapit de puluere septum
Nocte graui, incolumemque externi in semina belli
Ad littus sistit; geminos vbi nauita fidus
Cymbam inter scopulos tales seruarat in vsus.
Prouehitur portu, & trepidis petit æquora velis.
Frigore tum verò socij soluuntur, & arma
Proijciunt hebetata metu, fugiuntque trementes.
Insequitur victor, campisque patentibus arcet,
Et tergis hæret fugientum, ac verberat hastis.
Sunt prædæ pœnæve omnes, sua quemque trahit sors.
Ecce autem conuulsa vadis maria alta resorbent
Subbisij cæsas acies, demersaque ponto
Corpora nauali pugna. Namque æquora certo
Tempore purgantur, reuomuntque in littora quidquid
Gurgite correptum est, iniectaque cuncta refundunt,
Nec sordes squallere sinu patiuntur in imo.
Rupella effusæ tristes ad littora matres,
Inualidique senes, pueri, innuptæque puellæ,
Quisque suas ruit ad lacrymas, plangoribus æther
Ingemit, & largo fletu terra omnis inundat.
Littore strata iacent toto perfossa cruentis
Corpora cuspidibus, putrique fluentia tabo
Membra virûm, truncæque manus, & plurima ceruix.
Sicut vbi plenum nocturna inuasit ouile.

Strage lupus, multo ſtabulum fluit omne cruore,
Permiſtoque agnis pecudes & matribus hœdi
Funere mactantur, iacet ingens ſtragis aceruus,
Ille ſuæ caſum prolis gemit, ille parentis,
Illa proci tenero dat circum brachia collo
Procumbens ſuper, & fletu ſolatur amorem.
Hæc molli viduata toro, fruſtrataque tæda
Deliciis, longùm dolet, immoriturque marito.
Luctus vbique ingens, liueſcunt pectora ſciſſis
Veſtibus, effuſaſque comas dolor oraque fœdat.
Quiſque ſuos patitur luctus, vnoque frementes
Ore execrantur bellum, fraudeſque, ſceluſque
Subbiſij, patriæque dolent tot robora iniquam
Vnius ob noxam, & cæcum exſpiraſſe furorem,
Sanam expulſuri mentem areſcente dolore.

PAVLI

PAVLI THOMÆ ENGOLISMENSIS,

RVPELLAIDOS LIBER SECVNDVS.

INTEREA ventis agitur, profugusque carina
Subbisius radit freta, quo se credere ponto
Debeat incertus, quibus aut dare lintea ventis.
Nunc Regis prensare genu, manibusve reuinctis
Exorare subit veniam, nunc præpete cursu
Hesperias petere, aut orientis syderis oras.
Dum spes ambigua, dubio dum pectore nutat,
Ecce colubrifero furiarum maxima collo
Inuolat in proram, atque excusso verbere cogit
Hærentem, portu cymbam religare Britanno.
Est in conspectu Gallæ trifida insula terræ,

D

Littore ab albenti quondam notißima, sæuis
Circùm horrens scopulis, & vastis ardua saxis.
Densius incumbit cœlum, vix mobile ventis;
At læti paßim fœcundis imbribus agri
Innumeros ouium fœtus armentaque pascunt.
Nec stabulis lupus vllus obest, liberrima campis
Otia, & inuetitos penetrant pecorum agmina saltus.
Non hic prela rubent, non dat sua munera vitis
Victa gelu, tumeant quamuis in palmite gemmæ.
Hordea sed miscens lupulo sua pocula condit
Gens dura, ingenioque sagax, atque aspera bello,
Suetaque præcipiti spumas salis ære secare.
Illas Subbisius patriis è sedibus oras
Venerat abreptus fatis, magnoque latebras
Quæsierat sceleri; miserumque inglorius æuum
Exul, inops rerum, in luctu tenebrisque trahebat.
Forte graui pressus curarum mole Britanni
Errabat Tamesis ripis, ægraque parabat
Mente dolos, iterumque nefas ciuile coquebat.
Cùm missi optatò Rupella ex vrbe Britannos
Legati adueniunt, torquentque ad littora puppim.
Omnis in amplexus it turba, & sospite gaudet
Subbisio, authoremque sibi non defore belli.
Diuerso veluti cœli sub cardine patrem
Cùm tenuit mora longa, mari tandemque remenso
Diues ab Aurora populis patriam appulit vrbem,
Pendet complexu natus, vixque implet amorem.
Postquam oratores collo incubuere fugacis
Subbisij, & causam aduentus seriemque laboris

Explicuere sui, cupidus mœsta otia rumpit,
Lætusque ingratam gestit turbare quietem.
Dant animos Diræ ingentes, flammamque medullis
Affigunt, veluti succenso arentia si quis
Ligna oleumve rogo inijciat, lentumve bitumen.
Londinum Tamesis spumosa ad littora longa
Porrigitur serie murorum, ciuibus arcta
Vrbs, opibusque potens, sceptri Regina Britanni.
Pons ingens Tamesim sternit, non ille profusis
Imbribus hybernis vnquam, niuibusque tumescit,
Semper at æquatos deuoluit in æquora fluctus.
Ad vada pascuntur niuei longo agmine cygni,
Assueti tectis prima succedere nocte.
Haud procul vrbe sedet solido de marmore Regum
Ambitiosa domus, Pariis tecta alta columnis
Incumbunt, summisque nitet laquearibus aurum.
Carolus hîc triplici cinctus diademate frontem
Iura dabat populis, diues quos Anglia pascit,
Quos Iuuerna ferox, Scoticæque iuga aspera terræ.
Ille thoros Gallæ dum posceret Heroïnæ,
Quæ cupidus promissa dabat? se carcere tètro
Missurum nexos latiis pro ritibus omnes,
Et fore vt antiquas sua gens procumbat ad aras.
Nusquam tuta fides. pacta post fœdera tædæ
Anglos liuor habet, promissaque maxima fallunt.
Propensam in Gallos nimium explorare Britannas
Reginam vires, atque abdita pandere regni
Insimulant, curis nec respondere mariti.
Inque dies odiis increbrescentibus, ipse

Ritibus addictos Latijs Rex carcere frænat.
Gallorumque rates acceptas portubus Anglis,
Jus & fas contra, inuidia maiore retentat.
Sic iras tumido prodentem pectore Regem
Subbisius petit, oratorumque agmine septus
Procidit, & lacrymis ait intromissus obortis.
O decus egregium sæcli, cui fata dedere
Tot regere imperio terras, & cærula ponti;
Illa potens quondam Rupella, & summus auitæ
Relligionis apex, & sedes tuta piorum,
Poscit opem, imploratque suis tua numina votis.
Per varia illa quidem rapta est discrimina rerum
Iam sextum infœlix annum, &.dum fata tulerunt,
Restitit, euersas vrbes, camposque suorum
Sanguine spumantes luxit, molisque superbæ
Faucibus impositum pondus tulit. omnia paci
Posthabuit tamen, & Galli se Regis acerbis
Submisit iussis, strictosque recondidit enses.
Irruit at, ruptoque premit nos fœdere Gallus
Securos, pellitque mari, Retensiaque arua
Occupat, & solitis probibet consistere templis.
Funditus occidimus, tua det nisi dextera bello
Defensos, nam te superest spes omnis in vno.
Has igitur te per lacrymas, si læsa dolori est
Relligio, oramus, prosit nos supplice dextra
Procubuisse tibi, miseris succurre, tuæque
Rupellæ fer opem, fatumque à mœnibus arce.
Talia Subbisius. Rex verò quærere causas
Ardet, & euentus Rupellæ audire sinistros,

Ac placido contra ore refert. Quæ tristis amicam
Sollicitat sortis dura inclementia gentem?
Quod numen premit iratum? mihi pandite casus,
Dicite, quæ fuerint exordia prima malorum,
Quæ clades populi, veteresque retexite questus.
Tum verò ex imo suspirans pectore vocem
Subbisius trahit, & mœsto sic incipit ore:
Immeriti casum populi, sæuumque dolorem
Integrare animo, & gemitus renouare sepultos
Rex inuicte iubes. Sed quis ludibria sortis,
Et tua quos Rupella tulit, narrare labores
Infandos queat? ac toties iactata periclis
Mens luctu trepidat, durosque reuoluere casus
Mœsta fugit. Si tanta tamen tibi corde cupido est,
Iussa sequar, seriemque tibi rerum ordine pandam.
Sublimi qua Pyrene se vertice tollit,
Gallisque Hesperiisque ferens diuortia terris,
Nobilibus populis, & agro Benearnia floret
Vbere, Foxensi longos regnata per annos
Imperio, donec gentis Regina Nauarræ
Foxia Labretio transcripsit iura marito.
Vnde mihi sacrum genus & Regalis origo,
Vnde parens est orta patris. Sed enim ille secutus
Gallorum partes, cognataque signa, Latinum
Pontificem aduersus feris dum fidit in armis,
Irruit improuisus Iber, nec tale merentem
Dotali pepulit regno, incautumque fugauit.
Ardebat penitus Gallis Insubria bellis,
Nec reuocare acies, coniuratamque licebat

Deserere Ausoniam, magnisque absistere cœptis.
Ergo Labretium in tanti solatia casus,
Et fidei egregiæ monumentum, Gallus habere
Regni iure dedit Benearnum, sceptraque parua
Torquere, & leges subiectæ ponere genti.
Sic ille exiguum imperium simulataque magnis
Sceptra suæ proli Henrico transmisit habenda.
Excidium at neptis tantæ indignata coronæ,
Pontificisque odio, per quem deuota perisse
Regna sibi, ac Regi transcripta dolebat Ibero;
Excutit Ausonios ritus, delubraque vertit,
Fanorumque inuadit opes, & diuidit agros,
Sacra vetusta nouis mutans; Benearna quibus gens
Iam per lustra decem tranquille operata vigebat.
Henricus non ipse ingens & debitus astris,
Inuictus quamuis, Gallo & diademate pollens,
Resciderat magnæ leges atque acta parentis.
Vt primùm regni LODOICVS *sumpsit habenas,*
Quæ miseros habuit requies? quam tristia fata?
Mitto ea, quæ varijs edictis sanxit, vt omnes
Auersus populi monitus, lacrymasque, precesque
Reppulit, & grauia infensi consulta Senatus.
Promouet ipse acies, & multo milite Palum
Ingreditur, cunctis rueret licet obuia portis
Vrbs effusa, hilari vultu, & clamore secundo,
Fanaque restituit, Latiosque instaurat honores.
Inde Nauarrinam rapidus valido occupat arcem
Præsidio, quam importunos aduersus Iberos
Labretius quondam firmauerat aggere tuto,

Relliquias regni, & cladis solamen acerbæ.
Ortesium, celsumque Ilurona, altamque pererrat
Pyrenen. quis enim non fallat imagine pacis?
Illinc prima mali labes. iniuria turbat
Attonitos, iam corda tument, furor ossibus hæret.
Concilium Rupella frequens habet. vndique nostra
Conueniunt de gente viri, quos Numinis ardor
Suscitat, & populi Benearni casus acerbat.
Stat libertatem ciuili Marte tueri,
Stat toto in magnum consurgere corpore bellum.
Bullonius primas acies, prima arma iubetur
Inijcere, vndanti quà Sequana labitur amne,
Quà Ligeris fluit, & turgenti vortice Sartra,
Ledique, & socias Meduana suscipit vndas.
Sorte mihi Armorici cedunt, & Pictones agri.
Engolimos legitur bello pressurus, & agros
Santonas, incinctasque mari Trimollius oras.
Forcius ad Duranum senior, Tarnisque fluenta,
Filius erepta ad scopulos audere Pyrenes.
Tectosagas Rohano fratri ditione tenere
Cura datur, tumidum in Tarnem quà fertur Acutus,
Quà turres Apameia suas ad littora tollit
Aurigeræ: & fontes ipsos superare Garumnæ,
Armaque Tarbellis inferre, rudique Lapurdo,
Quáque Atyrus secat arua, rapitque Ægirtius vndas.
Mittitur haud indignus auo Castellio Aletham,
Ac Biteras, & aquosam Agatham, populisque beatum
Mompelium, Fossasque MarI, egregiamque Nemausum;
Quà rapitur decliuis Atax, quà defluit Obris,

Et medium in pelagus quà flectit Araurаris vndas;
Adduntque his Gabalos, Albamque, iugumque Gebennæ.
At Bonnæ Dediguerio datur arua tueri,
Quæ cœlo vicinæ Alpes, quæ gurgite circùm
Spumanti claudit Rhodanus, pelagusque coërcet;
Jsara quà surgit, rapidoque Druentia fluctu.
Æduus & quæ rura colit, quos Oscara lambis,
Quos Arar, & primos aperis quà Sequana fontes.
Ipsa tui populi flectenda relinqueris armis
Concilij sedes Rupella, soloque saloque
Horrida terribilis sparsura incendia belli.
Diuidimus toto varium sic limite Martem.
Ast vti cùm grauida densantur in aëre nubes,
Centauri illa trucis formam subit, illa Chimæræ,
Enceladi hæc vultus, illa induit ora leonis;
Vanaque multiplici ludunt simulacra figura.
Ut primùm sæuit Boreas, liquidum æthera purgat,
Falsaque monstra polo detrudit, & astra serenat.
Sic tumidi lingua gerimus dum bella, minasque
Tollimus, insurgit Gallus, rapit agmina contra,
Jmmittit campis acies, speque illicit ampla
Promissisque duces nostros. Trimollius acer,
Bulloniusque, & cum magno Castellio Bonna
Deficiunt, non-parua afflictæ nomina partis.
Ingenti Ligerim quà pons amplectitur arcu,
Quáque viam Celtis Aquitanos pandit in agros,
Salmuria vrbs breuis est; sed desuper ardua rupes
Jmminet, & nostris iamdudum insessa maniplis.
Huc primùm incubuit belli furor, agmine Gallus

Præripit

Præripit hanc ſubito, & noſtros capta obruit arce.
Dumque calet fortuna, pauor dum ſpargitur ingens,
Pictaua rura petit. Cæci terrore, Vigenna
Quos fluuius rigat, & Caſtrum quos acris Heraldi,
Quos Lodonum claudit, viridi quos Touius amne,
Quos Separis, tenuique ſecat quos Vendeus alueo,
Certatim occurrunt, teſtes pignuſque futuræ
Prætendunt fidei dextras, pacemque precantur.
Rupella at tantis ſucceſsibus anxia ſomnos
Excutit, & ſubitas immittit ſera cateruas
Angerio duce me, tenue & miſerabile vulgus.
Quàm melius fuerat Regem præuertere, & ipſum
Ad Ligerim ſtare armatos, fineſque tueri.
At veluti ruptis cùm nubibus æthera turbat
Fulminis ira grauis, quatit altos verbere montes,
Suſpenſoque caſas humiles præteruolat ictu:
Supplicibus ſic Pictonidis Rex parcit, & arma
Santonicum mouet in campum, Angerioque propinquat.
Luſtrat equo muros, & propugnacula verti
In cineres iubet, ac nudari mœnibus vrbem.
Iamque pateſcebant impletis mœnia foſsis,
Continuo in muros inuaditur impete vaſto.
Torrentem at veluti rupes obiecta moratur,
Atque ſuum reſilire retro compellit in alueum:
Sic hoſtes nos tercentum detrudimus haſtis
Præcipites, quos laudis amor, generoſaque virtus
Egerat, & primis dederat conſiſtere muris.
Altera iam mundo renouabat cornua Luna,
Cùm primùm incubuit, clauſaque exarſit in vrbe

Seditio, ſeu terror erat, ſeu fata trahebant.
Sauciaque ipſa ſuis vrbs ne procumberet armis,
Deſerimus muros ingrato fœdere, & vrbis
Linquimus ex imo vertendas aggere moles.
Concidit ad tanti caſus vrbs Pontia famam,
Pontia, Romano deductum ſanguine nomen,
Pacem orat, fractæque rigent ad prælia dextræ.
Idem terror habet Duranum, fluctuſque refringit,
Bergeracumque fores pandit. ſtupet Oldus, & vndas
Acclinat dubiæ poſt longa pericula pugnæ.
Ventum erat Albani celſa ad munimina montis,
Qui molli ad Tarnis deſcendit littora cliuo,
Aggeribus tutus, triplicemque aſſurgit in vrbem.
Quæ noua, ſecura deſpectat fronte Cadurcos,
Vrbis ad antiquæ decurrit mœnia Tarnis,
Tertia Borbonio quæ ſeſe à nomine tollit,
Trans Tarnem fundata iacet, longo addita ponte,
Tectoſagas medius qui diuidit, atque Cadurcos.
Quinque virûm arbitrio gens flectitur, annua plebis
Quos vota imperio dignos legêre, nec illis
Externos ducibus norunt admittere faſces.
Forcius huc ſenior Benearno limite pulſus
Venerat, auratiſque ferox Bulfrancius armis,
Ac Sulij Orualius proles, ter mille virorum
Agmen agunt, longoque aſſuetas Marte cateruas.
It contra Gallus fidens, & concipit iras;
Hinc fortis Ionuilla tonat, Meduanius illinc,
Inque vicem irruere, & muros euertere certant.
Obijciunt illi portas, vlulata reclamant

Tecta procul, pauidamque ſubit formido per vrbem.
Diſcurrit turba ad muros, cingitque corona,
Telorum genus omne rotant. Dumque arduus armis
Mars furit, & ſæuis igneſcunt mœnia nimbis,
Per pluteos crateſque haud euitabile plumbum
Vimineas volat, & longo ſtridore per auras
Elapſum Meduani oculis altoque cerebro
Figitur. ille vomens animam mox corpore vaſto
Concidit, & campo iacet ingens nominis vmbra.
Infremuit Gallus tanta ſe clade petitum
Princeps; & totis pubes mauortia caſtris
Orbatam ingemuit ſe defenſore potenti.
Ac veluti piceo rutilam velamine frontem
Cùm tegit, & magicos exhorret Luna ſuſurros
Deficiens, pulſata leuant rauca æra laborem.
Sic totis lugubre crepant caua tympana caſtris,
Æraque pulſa fremunt, gemitum ſigna ipſa dedêre,
Albumque atrato permutauere colorem.
Morte Ducis tanti, tùm tempeſtatibus atris
Caſtra relinquuntur tandem obſidione ſoluta.
Panditur hinc primùm miſeris via cæca ſalutis;
Dumque riget ſæuo glacialis frigore bruma,
Regiaque arma vacant; Duranus quos ſtringit, & Oldus,
Deficiunt, primique audent ſe credere Marti.
Idem Tectoſagas habuit furor, induit arma
Mompelium, medicaſque reponens abijcit artes.
Caſtrenſis pariter fremit vrbs, & clara Nemauſus,
Quæque colit gemini Vardonis Vcetica ripas,
Quique habitant celſa pendentia tecta Gebenna.

Hybernis veluti pastus ruit imbribus amnis,
Cùm superat ripas, camposque refusus inundat.
Aut veluti longo sonuit cùm murmure cœlum,
Nube crepat rupta, & terrorem spargit in agros.
Segnior haud illis rapitur Rupella, mouetque
Armorum duros sortitus; brumaque postquam
Mitior, & placidi strauerunt æquora venti,
Me sex mille iubet iuuenum rapere agmen in oras
Pictonidûm, & Ligeri bellantem adnare profundo.
Jamque nouum primis reserabat cornibus annum
Dux gregis, & paribus noctes solesque secabat
Horarum spatiis, cùm sors classem appulit oris
Pictonidum; nostrisque dedit læta omina cœptis.
Turba omnis pauet ante tubam, & formidine pressi
Pictones aut prædæ cedunt, portasve recludunt.
Ad famam accedunt socij, densantque phalanges;
Non secus ac hyemis cùm frigore celsa Pyrenes
Nix iuga conuallesque tegit, flantque æthere venti.
Jlla ruit mole exigua, viresque rotata
Sumit, & in vastam conuexo pondere molem
Tollitur, exesique velut pars ardua montis
Opprimit immani valles reuoluta ruina.
Insula Pictonico iacet æquore, diuite gleba,
Et fœlix pecoris, longo reliquæ addita terræ
Aggere, tuta mari, multàque obducta palude.
Lætus in hanc toto quæsitas incola ponto
Jmportabat opes, altaque in pace regebat.
Jllam præceptis angusti inuadimus Isthmi
Faucibus, & sedem molimur ponere bello.

Gallus in inclusos cùm sese exercitus infert,
Obyce quà ducto tenuis freta diuidit agger.
Parte alia irrumpunt equites, seque in freta mittunt,
Dux facti Rex ipse, altis non territus vndis.
Agnouisse putes Tethyn, refluoque meatu
Contraxisse fretum, & posito cessisse tridente.
Tum verò in prædas ardens, sed frigida bellò
Pulsa acies fugit, & nullo sua classica linquit
Ordine. siue animos visi reuerentia Regis
Fregerit, aut subita Numen concusserit ira.
Tùm monitu & precibus frustra reuocare fugaces
Conatus cessi, fateor, melioribus olim
Auspiciis sperans patriæ succurrere lapsæ.
Vt belli cecidit furor, & nostro imbuit arua
Sanguine Rex, pergit Roanum, quod turribus altis
Despicit Oceano sese miscere Garumnam.
Ferrea iam muros frangebant verbera, iamque
Concussus rauco stridore Garumna fremebat.
Duximus obliquo sub terram tramite fossam,
In latum tres illa pedes patet, altaque septem,
Multiplicique ambage viam sub mœnia flectit.
At ne forte graui subsidens pondere nudet
Terra dolos, sudibus firmatur, & arbore multa.
Sub muris specus effoditur, flammæque repletur
Seminibus, saxisque specus cæca ora premuntur,
Funiculo vt tenui spatium breue detur; at ille
Sulphureque & nitro, atque acri medicatus aceto
Per dubios ad prima sinus subit ostia fossæ.
Tum vèro appositus per funem voluitur ignis,

Jmaque rimatur longo penetralia ſulco,
Materiemque rapax piceam vorat. At quia ſaxa
Anfractuſque viam intercludunt, impete vaſto
Excutit impoſitas moles, aperitque viam vis.
Trinacrius veluti flammas liquefactaque vertex
Viſcera cùm glomerat, vel ruptis Hecla caminis
Immugit, Thulenque horrendo murmure terret,
Sparguntur late ſcopuli, cœlum ignibus ardet.
Sic ignes inter medios, & confraga ſaxa,
Et pice fumantes latebras affligimus hoſtem,
Clauſtraque ſemiruta deiecta relinquimus vrbis.
Nec mora iam Regem tenet vlla, aciemque ſuperbam
Promouet ad Duranum. quis enim campo arceat hoſtis?
Vix fidei fanum infidum ſua mœnia quadram
Tollebat procul in ſpeciem, vix ardua longe
Culmina ſurgebant, bello cùm Forcius aſper
Occurrit, pacemque petit, portaſque recludit.
Quæ tibi mens Forci? quæ partes prodere virtus?
Sudor ad Albanam exhauſtus quid profuit vrbem?
Jmmatura tuæ ſobolis quid fata? meorum heu
Funera! nunc ſeges eſt, vbi conſtitit ante Toninum,
Ingentes Oldus triſti pauet amne ruinas.
Auget inexhauſtos Rutenus Auerio planctus.
Hyberno Nigrapellicijs poſcentibus anno
Præſidium dederat Gallus, quo mœnia tuti
Seruarent, placitamque agerent in pace quietem.
Jnſtruit inſidias arrepto tempore noſter
Miles, & incautos adrepens opprimit hoſtes;
Non impune tamen, nam mox Rex ingruit, omnem

Subuertitque vrbem ferro flammaque potitus.
Nec modus excidijs, ſors ſtrage inuoluit eadem
Fanum Antonini, ambiguo quod fine Cadurcos
Rutenis dirimit, ſeptum quod montibus ima
Valle ſedet, fidenſque ſua ſe mole tuetur.
Occupat enitens faſtigia ſumma labore
Aſsiduo miles, tortoque adducta rudente
Tormenta in iuga per trochleas & tympana tollit,
Excuſsiſque minis murorum ingentibus vrbem
Inuolat, & quem non ſcopuli vetuere minaces,
Nec ſiſtunt muri rapidum, ceduntque ruenti.
Sommeria hinc Regi ſubduntur mœnia, nec non
Luneliumque, atque Ægidij haud ignobile fanum.
Nec procul hinc populis florens & pinguibus aruis
Mompelium celſis ſurgebat in aëra muris;
Præmiſſus grauidis late Momorantius agris
Dat ſtragem, & lætis falcem ſupponit ariſtis.
Poſt venit excidio Rex ipſe, altaſque minatur
Euerſurum arces, tum admotis fulminat armis,
Et iam caſtra locat. Noſtri denſo agmine vallum
Tranſcendunt, hoſtemque ſua virtute retrudunt.
Qualis vbi amiſſa tigris furit aſpera prole,
Horretque in maculas, luſtrat nemora inuia, & vno
Tranſmittit ſaltu campos, Hyrcanaque ſaxa,
Pignora dum ſtabulis cæſo raptore reportet.
Et iam ſtrage ferox ruit vrbs, nec continet vltra
Immodicas iræ mentes, portaque latente
Exit, & ancipiti turbat caſtra omnia Marte.
Quem primum extremumque Erebi demiſit ad vmbras?

Funeribus quæ meta fuit? toto æquore late
Corpora trunca iacent, campique cruore rubescunt.
Tertia iam plenis torquebat cornibus axem
Cynthia, iam rutilos spargebat Scorpius ignes.
Hærentis Rex impatiens ad mœnia belli
Cedere deserta retro obsidione parabat;
Cùm Rohannum fratrem patriæ inseruire saluti
Fata mouent, summaque excitum rupe Gebennæ
Impellunt populo pacem suadere feroci.
Scilicet vt rapidis conuulsum Aquilonibus vndas
Tollit, & oppresso mox flamine detumet æquor:
Sic procerum plebs arbitrio regiturque furitque,
Non impulsa silet, nullo irritante quiescit.
Sic Rohani monitis coëunt in fœdera dextræ,
Parcitur & quidquid bellis ciuilibus ausum est.
At sua Rex per sceptra & regni lilia iurat
Libera Mompelij fore mœnia, & annuit vltro
Excidium positæ Rupellæ in faucibus arcis.
Quis non promissum magni inuiolabile Regis
Esse fateretur, solidoque perennius ære?
Quis contra infremeret? fidei sed pignore nullo
Se ciui obstringi, damnataque sacra tuenti
Rex ait, inque dies cæspes sublimior exit,
Suesßio quem primus Rupellæ ad proxima duxit
Ostia, Mompelium Regis dum distinet arma.
Dicitur & Regis surgens de nomine moles.
Quin iuuat & sæuo Rupellam inuadere bello,
Et pelago classes immittere, fœdere nullo.
Maßiliæ emissæ portu longinqua triremes

Exierant

Exierant maria, & Balearia per freta lapsæ
Herculeas inter sulcarant stagna columnas.
Post flexo in dextram classis cita tramite Gades
Venerat, auriferique Tagi superarat arenas,
Cantabricoque inuecta sinu, discrimine multo
Pulsat Aquitanum terno ordine palmula pontum.
Guisius eductas Britonum de littore puppes
Iungit, & instructa vehitur per cærula classe.
Lucifer octauus vix dum surrexerat orbi
Mompelij post fata, & pactam fœdere pacem:
Cogitur ad bellum Rupella, ratesque parare
Inuita, & certam pugna depellere pestem.
Haud tulit ingentes animos subitumque furorem
Guisius, immani qua vectus mole carinam
Annosæ spolium syluæ propellit, & armis
Nos premit, insultatque fremens, mortemq́ minatur
Arduus. At densos inter dum fulminat armis,
Obuertitque ferox proram, fœtæ ignibus atris
Inuadunt geminæ puppim, morsuque tenaci
Implicuere rates. flammarum alimenta parato
Igne afflata micant, glomerantque incendia late,
Summaque Guisiacæ populantur transtra carinæ.
Ac nisi sors inimica animum misisset, vt ignes
Excitos crudo prohiberet tergore tauri,
Rupellæ dabat insignem victoria palmam.
Vt vires posuere incendia, Guisius vrget,
Immittitque aciem, triplicique exercita versu
Brachia sollicitant puppes, furit æquore Mauors,
Dum vetuit nostram pelago consistere classem

Crudelis, ceciditque data plebs victima pacis.
Forte sub extrema confinia noctis, Eoo
Cùm primùm terras perfundit Lucifer ortu,
Veraque tranquilla cernuntur somnia mente;
Obtulit in somnis mihi se Rupella, superbum
Aggeribus deiecta caput, lacero ore, solutas
In vultus effusa comas, sub pondere molis
Curua graui, squallente trahens in puluere pallam,
Voce vocans, patriæque iubens succurrere fessæ.
Heu mihi Rupella quantum distabat ab illa,
Quæ populis floret, celsis quæ plurima cœlo
Turribus occurrit, trabibus quæ cærula complet.
Taliter afflictæ dudum indignantia pacem
Pectora sollicitat facies. Vos conscia veri
Numina, & æterni testor vos ætheris ignes,
Nil causa fecisse mea, sed iuris & æqui,
Sed libertatis, sed relligionis amore.
Hæ mihi erant partes. malefida in pace quietam
Eripui pietate ardens de littore classem
Armorico, excidium Regem flexurus ad arcis.
Ille vocat contra Batauos, & corpore regni
Consurgit toto, Retensiaque occupat arua,
Et tua nos fato profugos ad limina pellit.
Ergo age, Rex, miseris fer opem, da tangere dextras,
Rupellam sociosque iuua, tegat æquora classis.
Sub veli aspectum Retensis cedet arena,
Vliarusque in vincla manus dabit insula, & vrbes
Libertate sua tutas in prælia mittet
Nominis vmbra tui. sunt nobis alta Gebennæ

Culmina, & indomitæ gentes, Albanaque tecta,
Milliacum, Castrensis, Ucetica, pulchra Nemausus,
Tectosagum late campi, & munimina tuta.
Ipsa tuis nec erit Rupella ingloria sceptris.
Ac licet insignes Gallus bello abstulit vrbes,
Mœnia non animos habet; hos tua fama ciebit
In Martem, facientque tuo pro nomine partes.
Surge potens pelagi, ne dedignere precantes,
Te casus miserorum, & Numinis excitet ardor.
Talia Subbisius. Rex contra immobilis hæret
Multa animo meditans, Gallæ arma inuicta iuuentæ,
Incertos belli casus, gentisque potentis
Duratura odia, & geniali fœdere iunctam
Iuratamque fidem. At magnis spes addita votis,
Regnandique insanus amor, nomenque Britannum,
Communisque superstitio, lacrymæque precantum
Regales flectunt animos, censetque malignis
Rex Gallos tangi fatis. Nec dum excidit alta
Mente ereptæ atauis Aquitanæ iniuria terræ.
Sicut vbi medio in pelago Boreasque Notusque
Inuadunt hinc inde ratem, fluctusque tumentes
Vorticibus tollunt imis, suspensa carina
Nutat, & ambiguo iactata impellitur æstu:
Sic animi dubius, curisque trahentibus hæret
Rex Anglus, remque ad proceres populumque remittit.

PAVLI THOMÆ
ENGOLISMENSIS,
RVPELLAIDOS
LIBER TERTIVS.

MOS manet antiqua veniens ab origine regni
Conuentus agere, & populorum exquirere mentem,
Seu ſancire nouas, vetereſue refigere leges,
Seu bellum gerere, & claſſem deducere portu,
Siue opus inſolito populos onerare tributo.
Rex proceres plebiſque duces vertentibus annis
Ad cœtum vocat, & rerum ſummam ordine pandit.
Diuerſos bina aula viros capit, alta columnis,
Marmore ſtrata, micat ſummis laquearibus aurum,
Pictaque parietibus pendent aulæa ſuperbis,
Quæ virgo dominata viris Iſabella, ſuorum

Insternens monimenta patrum, discreuerat auro,
Dum curas tenui ciuiles pectine laxat.
Oceanum hîc Gallo qui diuidit orbe Britannos
Cernere erat, pelagique minas, fluctusque tumentes.
Illic Normanis veniens Vilielmus ab oris,
Obliquum genus, æquor arat, iam littore in ipso
Confertum agmen agit. populos hinc fortis Haraldus
Cogit, & aduersos fertur moriturus in hostes.
Concurrunt vtrinque acies, manus omnis in armis,
Funus vbique ingens, fluit atro sanguine campus.
Cingitur imposito victor diademate frontem,
Quem comitatur acu series depicta nepotum,
Ordine qui longo tenuere Britannica sceptra.
Consita virgultis atque arboribus proceris
Pingitur effigie variarum & sylua ferarum,
Quas alter Vilielmus agit, premit atque molossis.
Ast illum vepres inter dumosque latentem,
Dum strepitu putat esse feram, ferit inscius arcu,
Perque latus celeri transfigit arundine miles.
Illum animam proflare, suosque accurrere casu
Attonitos, fusasque plagas & retia dumis
Aspiceres, sparsosque vepres stillare cruore.
Parte alia Augustam Henrici post fata Matildem
Andegauos optare toros, & dispare iungi
Connubio, socioque fretum tranare marito,
Ac densas glomerare acies, Stephanumque tyrannum
Compedibus frænare. hunc duro carcere lapsum
Augustam longo premere obsidione vicissim.
Ast illam niueis ardentes murice vestes

Mutantem perque ire niues & flumina sæuo
Indurata gelu, perque alta silentia noctis,
Tandemque ad nati fugientem elabier agmen,
Atque iterum Stephano rediuiuum immittere bellum.
Hinc Tyrio magnum parat Hymen pictus in ostro
Connubium, accenditque faces, nectitque corollas,
Et toto ingentem ducit subtegmine pompam.
Namque Helenora tumens animis opibusque priorem
Seu suspecta virum seu dedignata relinquens
Henrici thalamos ambit, Lucina secundat
Cœpta fauens, magnaque facit post prole parentes.
Aduersus sed adulta patrem consurgit, & armis
Sceptra petit. videas temeraria prolis vt ille
Castiget scelera intrepidus, victaque potitus
Iuuerna gemino diademate tempora cingat,
Vtque Scotum teneat vinclis, clausaque repellat
Rotomago Gallos, omnique in stamine vincat.
Proximus huic ostro insignis Richardus & auro
Induitur sacrum ad bellum, immanemque minatur
Se Syriæ Turcam solio detrudere, iamque
Massilia soluit, Siculisque allabitur oris.
Messanam portas venienti occludere, at illum
Urbi expugnatæ victorem ignoscere credas.
Illinc Ionio ventis iactatus in alto
Subducit Cypro classem, belloque petitus
Arma parat, victorque Paphon, Salaminaque subdit.
Inde nouis auctus titulis, sceptroque recenti,
Flectit iter citus in Syriam, & Ptolemaïda vertit,
Semirutæque bonus muros instaurat Ioppes.

Post illum ditem spoliis, clarumque trophæis,
Dum patriam repetit, fracta rate quærere cernas
Effugium frustra, captumque in vincula mitti.
Parte alia depulso Edoardum sceptra parente
Torquere aspiceres, & campis fundere Gallos
Cresiacis, longa & capere obsidione Caletas.
Extremo descripsit acus vineta tapete
Palmitibus grauia, & multo fœlicia Baccho.
Hæc inter proles Edoardi signa coërcet
Æmula virtutis patriæ, densatque phalanges.
At numero Gallus fidens, & retibus hostem
Conclusisse ratus campo furit, aspera surgit
Pugna virûm, Gallique cadunt, fractisque maniplis
Triste rubet late vindemia, captus & ipse
Consilij Rex præcipitis dat carcere pœnas.
Talia villosis rerum argumenta tapetis
Descripta in gemina pendebant molliter aula,
Cùm populi conuenere omnes, & sua quosque
Diuisit proprio distinctos ordine classis,
Hanc proceres, illam plebes concurrit in aulam.
Tum Rex succinctus trabea, Tyrioque superbus
Murice, sceptra manu torquens, & tempora cinctus
Tæniola, solio insedit sublimis auito,
Quod tenui molles ornarant vellere seres,
Inductos auro Leopardos intexentes.
Suggestu inferiore pedes asidit ad imos
Iustitiæ princeps, Regis cui creditur vni
Annulus, & populis labor est incidere leges.
Dextrum turba latus, patriæ quæ sacra tuetur,

Occupat; at læuum proceres, quos ſanguis, & altum
Commendat genus, & rerum queis pondera curæ.
Hos inter ſolio ſic Rex effatus ab alto eſt.
Quos eadem magno ſacra nobis fœdere iungunt,
Deuotos cœlo populos Rex obruit armis
Gallus, & æterno vetat inſeruire Tonanti.
Oppreſſi auxilio poſcunt acieque iuuari.
Magna quidem afflictam ſolari gloria gentem eſt,
Clarior at læſum ferro defendere numen.
Nec vacuus mercede labor, non parua ſequentur
Præmia, ſi gemina accedat prætenta potenti
Inſula Rupellæ, & noſtra ditione prematur.
Ne tamen incuſet temere nos fœdera Gallus
Frangere, neu pacis teneat vos cura tuendæ,
Conſulite, & quæ ſit ſententia, pandite, menti.
Principis excepit ſermonem his vocibus heros
Briſtolius, virtute ingens & ſanguine claro.
Maxime Rex populi ingentis, cui fata dedere
Oceanum premere imperio, quæ dura quietas
Sors in bella tuas gentes ciet, ictaque pridem
Fœdera, connubioque etiam firmata recenti
Frangere, & in Gallum ſuadet concurrere Regem.
Iuſtitiam moliri acies & ſtringere ferrum
Nempe decet, bellum Deus auerſatur iniquum.
Nuper Ibera tuæ tentarunt æquora claſſes,
Ac turpi rediere fuga. Non ſegnior Anglos
Excipiet populus, ſi Galla in littora mittas.
Bellum atrox erit egregia cum gente gerendum,
Inuictiſque viris: quos ſi certamine vincas,

Crudeſcet

Crudeſcet bellum, & grauiori Marte reſurgent.
Si pereat claßis, nec enim certa alea pugnæ,
Quantus honor Gallos, quantus pudor Angla ſequetur
Agmina, nec promptum fuerit ſarcire ruinas.
Jungere quàm melius dextras, populumque potentem
Conciliare ſibi dubijs qui rebus amicam
Reddat opem, qui pace bonus, belliqúe periclis.
Quid iuuat auxilium exulibus, turbæque rebelli
Mittere, queis nullæ vires, quibus eruta fundo
Mœnia, quos meritæ terrent formidine pœnæ.
Quàm metuo, inuadat quondam ne ſæua Britannos
Seditio, inque vicem noſtros gens Galla rebelles
Auxilio leuet, & noſtra nos arte laceſſat.
Quod ſi tantus amor ferri, ſi tanta libido
Bella externa ſequi, ſolio Federicus auito
Pulſus opem implorat fràter tuus, arma feramus
Romanas aquilas contra, victuſque ſuperbæ
Acclinet veteri domino ſua cornua Rhenus,
Et noſtrum ſuperata tremat Germania nomen.
Quis ſtupor externos bello tranſcendere fines,
Auxilio nec poſſe ſuos opibuſque tueri?
Talibus incenſus Dux Bucquincamius ardet,
Cui pelagus late, Tethyſque Britannica paret,
Quique prius Gades turbarat inanibus armis.
Idem Briſtolio infenſus, quod ritibus ipſum
Argueret Latijs voluiſſe adſtringere Regem
Heſperios apud, & cupido impoſuiſſet amanti.
Surgit, & in Gallos Anglum mouet, atque ita fatur:
Degenerem, ô bone Rex, hebetat caligine mentem

Bristolij, prohibetque timor melioribus vti
Consilijs. quæ namque viros causa æquior armat,
Quàm cum sacra tument pro numine bella tuendo?
Cui parcendum animæ, quæ non per vulnera sanguis
Fundendus, quæ deinde manus ad prælia torpent?
Sceptra tibi Numen, defensoremque potentem
Esse dedit fidei. quid læsos patris honores
Æterni patimur? certæ quid credere sorti
Numinis hæremus causam? quid fœdera nondum
Excutimus, sociosque armis opibusque iuuamus?
Hesperium trabibus nuper tremefecimus æquor,
Solaque longinquum suscepit gloria Martem.
Quis tamen indecores portus rediisse Britannos
Arguet, indutos spolijs qui vidit Iberis?
Scilicet egregiam in gentem memorabile bellum
Molimur. maior veniet tibi glória palmæ,
Defensos tua det socios si dextera ferro.
Iam sextus miseros annus premit, agmina campis
Sparsère, & geminis tenuerunt classibus æquor,
Et facerent etiam, contra nisi vela Bataui
Torsissent, aciesque suas & signa tulissent.
Gallum etiam attriuit belli mora longa, recenti
Res quantum in melius referent, casusque sinistros
Pensabunt socij auxilio. quod crescere nomen
Cernes orbe tibi sociûm comitantibus armis?
Tercentum totos Aquitanis finibus annos
Imperio expleuere ataui; iam numine dextro
Huc repetunt, socijque vocant, Rupellaque pandit
Mœnia, quæ Gallus nullis euerterit armis.

Quod tibi cum Gallo fœdus, qui patribus arua
Exercet regnata tuis, qui Numinis vrget
Cultores sociosque tuos, fasque exuit omne.
Jlle tuo nuper Federico & fœdere iuncto
Auxilia oratus renuit, Rhenoque fugatum,
Rerum inopem, nulla regni statione recepit.
Ille sua interclusit iter per rura Britannis
Agminibus, vetuitque vias insistere Rheni.
Ille in amicitiam fugit fœdusque venire
Hesperios contra, Europæque reducere pacem.
Proinde tuos age Rex populos inuicte, tuasque
Mitte acies. socios hosti quàm prodere turpe est?
Immo etiam trahere externis ciuilia bella
Finibus, ac fessæ vires opus addere parti.
Finitimi semper suspecta potentia regni est.
Quò tua te fortuna vocat, pete littora pinu,
Incute vim populis, atque ingens confice bellum.
Res atauis repete ereptas, spoliisque superbus
Post antiqua tuum Federicum in iura repones.
Dixerat, & magno illius sententia plausu
Excepta est procerum, ac strepitu tectum omne remugit.
Quales vere nouo ingeniosa examina motus
Ostendunt animorum, cùm trepidantia bello
Corda mouent, longisque vocant tinnitibus hostes.
Aut veluti Notus Æolijs emissus ab antris
Paulatim incumbit pelago, mox acrior vrget,
Turbidaque ex imo tandem ruit æquora fundo.
Mittitur ad plebem, procerum qui dicta reportet
Nuntius, & populi quæ sint responsa, requirat.

Idem omnes ſimul ardor habet, bellumque minaci
Voce cient, animos addunt in prælia Gallæ
Ingentes telluris opes, & mitior aura.
Panduntur belli portæ, ſuccincta flagello
Inſonat, & ſtimulos ſub pectore figit Erinnys.
Pars recoquunt gladios, & pila minantia tergent,
Aut arguta cauis verſant fornacibus æra.
Pars etiam alipedes auroque inſternit & oſtro
Arduus, immißiſque ferox bacchatur habenis.
Pars ſyluis aptare trabes, & cædere pinus
In claſſem, ac celſas certant proſcindere quercus.
Procumbunt ſyluæ, violataque robora duro
Sternuntur ferro, nudant ſua culmina montes,
Admittuntque diem, Lucus ſubuertitur omnis.
Deiectas alius pinus properante dolabra
Corticibus ruptis in malum extendit, at ille
Aſciolam tignis, trabibuſque retundit acernis,
Serrato dente in tabulas hic diuidit ornos.
Incumbunt omnes operi. iam fertur ad vndam
Materies, tantoque gemunt ſub pondere plauſtra.
Feßique agricolæ raptis ſua vota iuuencis
Abſumi, & vanos longùm luxere labores.
Littore feruet opus toto: pars tuta futuræ
Fundamenta locat claßi, firmatque carinas.
Pars terebra tigna intexit, clauoque trabali
Iungit, & ingentes nectit longo ordine coſtas,
Aſſeribuſque tegit quernis, piceque illinit atra.
Tranſtra, foros, tabulata parant, & roſtra carinis.
Applicat hic clauum, cuius moderamine nauis

Æquor aret, variaque insignit imagine puppim.
Hi malum, antennasque graues, & lintea tendunt.
Ordine stant longo puppes, quas corpore toto
Connixi nautæ, & subiectis vectibus vrgent.
Calliope decus Aoniæ, namque omnia nosti,
Dic age, qui populi in Martem, qua limite toto
Excitæ ruerint acies, quibus arserit armis
Anglia, qua Gallis se classe effuderit oris.
Qui Tamesis ripas, Londinique alta superbi
Tecta colunt, quos illustris Dorobernia mittit,
Littora qui Rutupina tenent, & Cantia rura,
Primi arma, & durum subigunt in prælia ferrum,
Terque decem impellunt puppes, & milite complent.
Quos Camalodonum vetus, atque Essexia pascit,
Qui Sturum potant, Hiero, qui flumine cinctam
Noruicum linquunt, Metaris quos alluit æstu,
Claraque quos mittit scopulo Lincolnia pendens,
Et medio Eboracum fluctu qui diuidit Vrus,
Quos Tuesis, quos Tinna duplex, murusque coercet
Picticus; ingentes animis, belloque superbi,
Fossilibusque ignes saxis accendere sueti
Arma parant, celsasque mouent ter quinque carinas.
Qui prætenta colunt ditioni littora Gallæ,
Aruaque qui subigunt Vintonia, Durnia pascis
Quos plaga colle frequens, pelagoque abrupta sonanti
Vectis alis, dena feriunt læti æquora puppe.
Mœnia qui claræ Exoniæ, tutumque relinquunt
Plimmuthi portum; statio vix cognita quondam
Nunc celebres inter cœlo caput erigit vrbes,

Ingentis patria alma Draci, qui pectore magno
Oceanum inuectus totum rate circuit orbem.
Et qui rura colunt ſtanni generoſa metallis
Cornabij, ſpumante freto quos Sabrina ſtringit
Effuſus, terdena vagis dant lintea ventis.
Vallia, ſe cuius de nomine Regia proles
Indigetat, ſummis duratos montibus acres
Mittit in arma viros; veniunt, quos nobile vate
Merlino cogis Maridunum, & rupibus altis
Subnixus Pembro, multo quos Caſtore diues
Amne ſecat Tibius, duplicique ab origine Deua,
Concharumque ferax refluo Conouius alueo,
Terque decem inſtructis in bellum nauibus ibant.
Qui trans vallum habitat Romano à milite ductum
Linquit Edimburgi rupem Scotus, altaque Forthæ
Oſtia, ſpumant'que Taum maria amne petentem,
Salſaque biſdenis proſcindit marmora roſtris.
Tot pariter miſere rates, quos dura maligno
Vbere paſcit humus, Grampique immania ſaxa,
Quaque Caledonio tegitur gens barbara ſaltu.
Ingentes ollis artus, impexaque inerrat
Cæſaries, ſetoſa tegit terga horrida cauda.
Extremique hominum, longo quos frigore adurunt
Orcades, & vicina Helice, ſua carbaſa iungunt.
Frugum etiam Cereriſque inopes comitantur Ebudæ.
Nec Iuuerna ſuas negat in certamina vires,
Reptilibus Iuuerna feris & inhoſpita monſtris,
Ac totum in claſſem curuat nemus; ardet in armis
Dublinia, & rapido ſtringit quos Lifnius amne,

Quosque secant Bladina venientes monte sorores,
Tres fluuij, quod aquis coëant, sic nomine dicti.
Quosque lupos fieri & ducunt se condere syluis.
Sannouius vasto quà præterlabitur alueo,
Qui tecta Armachiæ fugiunt, quos vitreus vnda
Banna rigat, Logiasque rapax, vmbræque silentum
Patricij ad spelæa vaga plangoribus implent.
Hi iacula & validas gestant in bella secures,
Nec nisi desectis rentur ceruicibus hostes
Demisisse neci. gens omnis conscia furti,
Magna odijs. fratres inter concordia rara est,
Solus more fidem gentili reddit alumnus,
Et qui traxit idem quondam collacteus vber.
Tympana non pulsant, non cornua, tibia bello
Dat signum vtre cauo, terdenaque carbasa pandunt.
Tot Sole ardenti formicarum agmina campos
Non populant, cum flaua in brumam farra recondunt.
Bistoniæue grues non tot vacuum æthera tranant,
Cùm fugiunt inimicam hyemem, Rhodopenque niualem.
Quot iuuenes in bella ruunt, pelagoque vehuntur.
Quos etiam in Belgas & Iberos miserat hostes
Auxilio, exciuit Batauûm regione Britannus
Egregios virtute viros, quibus vnica cura
Vel glomerare manum bello, vel scandere muros,
Sauciaque aduersis violari pectora telis.
Octo rates his Subbisius, fax aspera belli,
Relliquias magni Momoranti, & inutile iungit
Auxilium, multaque truces spe suscitat Anglos.
Ipse regit classem Dux Bucquincamius, armis

Aureus, imperioque ferox, authorque soluti
Fœderis, & forma ante omnes pulcherrimus Anglos,
Qualis nocturno resplendet vesper olympo.
Ille sua ditione premit, quos limpidus Vsa
Fontibus allabens primis, Tamesisque coercent.
His quia nec curæ classes, sed pascua tantum
Oceano procul, instructas dat ducere puppes
Londinum, nautasque viris pinusque ministrat.
Anxia iamdudum tanto Regina paratu
Carpitur igne graui, Galli reuerentia fratris,
Et terræ natalis amor pia pectora torquent.
Nec gemitus iam corde potest prohibere, genasque
Vnguibus; at laceros vt erat turbata capillos,
Et vultum largo imbre madens, ad celsa Britanni
Ibat tecta viri, lacrymisque cadentibus infit:
O vtinam nunquam in thalamos & fœdera tædæ
Venissem, nunquam mouisset læua sinistram
Iuno facem, Gallis fueram si forte Britannos
Commissura meis! tantum sors iuris habebas
In nostrum diuersa caput? crudelibus vndis
Dependisse animam mallem, quam dira meorum
Funera, & armatas audire in prælia gentes.
Debueram positis fratremque virumque sequestra
Conciliare odijs, excusso & iungere ferro,
Aut me acies inter mediam & discrimina ferre.
Quæ me fata inimica trahunt? quæ causa laborum
Tantorum, quæ causa fidem & statæ fœdera rumpit?
Exulibusne viris, bone Rex, populoque rebelli
Auxilium classemque paras submittere? Sextum

Iam

Jam meritas annum nimia indulgentia pœnas
Suspendit, non dextra tui generosa parentis
Auxilio subijt, tua nec dedit æmula virtus
Defensos bello. quæ nunc sententia vertit?
Aspera iam toties fecit fortuna nocentes,
Fataque damnarunt. Scelus est succurrere sonti.
Quin populo si sors fauisset dextra rebelli,
Debueras Anglas belli in discrimina gentes
Mittere, & auxilio fratrem Gallosque iuuare.
Res agitur Regum communis, læditur omnis
Maiestas, quoties gentes impune rebellant.
Quid? rabiem populi furialiaque ausa potentis
Fratris amicitiæ anteferes? nec fœdera, nec te
Noster amor, dubijque tenent discrimina Martis.
Hæc spectanda dies, mihi quæ charissima mundi
Pignora, vir fraterque ruant in prælia, & enses
Intentent nudos? num aduersi stabitis ambo?
Num vili pro plebe animam obiectare placebit?
Proijce tela manu, & cœptis absiste nefandis.
Non tenuis tibi res agitur, metire quod audes.
Te per connubium nostrum, per fœdera lecti,
Si tibi dulce meum quidquam fuit, oro, tuorum
Adde moras animis, classemque ad littora siste.
Hæc effata sinum lacrymis impleuit obortis,
Sermonemque grauis dolor interrupit, & ægram
Suscipiunt famulæ dominam, thalamoque reponunt.
Rex contra diuersus abit; non pectora dura
Tentat amor, blandæque preces, non ingemit vllis
Fletibus, & media Reginam in morte relinquit.

Stat Gallas magnum auxilium transmittere in oras,
Stat trabibus tegere Oceanum, sæuæque tueri
Rupellæ ciuile nefas. stat lenta suorum
Præcipitare palam studia, atque vrgere labores.
Flectit iter citus ad classem, numerosque recenset
Pugnantum. tantusne animis Regalibus ardor?
Europæ interea totus rumoribus orbis
Æstuat. hi Dano cogi auxiliaria censent
Arma laboranti, Germanoque agmine presso.
Auxilium hi Batauis submitti: aut in sua tandem
Iura reponendum, patrij qui littore Rheni
Excidit affinis respectu coniugis Anglæ.
Hispanas alij tot carbasa tendere in oras.
Nimboso veluti cùm Iuppiter æthere iactat
Fulmina, sanguineove rubet cùm crine Cometes,
Incertus sibi quisque timet, quò torqueat iras,
Qua tellure cadat, populis quæ funera portet.
At quem Retensi Gallus præfecerat oræ,
Ad tantæ famam classis Thorassius acer
Inuigilat, rerumque euentus mente volutat.
Rupellæ suspecta fides, Subisique recursat
Ingenium, & missus toties legatus ad Anglos.
Ergo improuisò ne debellatus ab hoste
Corrueret, memori recolens Regalia mente
Imperia, & laudum ingenti succensus amore,
Arcem porrecto molitur ad æquora campo.
Quatuor aduersa procurrunt ardua fronte
Cornua, paulatim sinuat sese inde reductos
Murus in anfractus, curuataque brachia pandit.

Inque vicem omnis abeſt tanto angulus interuallo,
Poſsit vt excuſſo defendere machina ferro
Muralis. Moles aſſurgit, foſſaque ſenos
Alta pedes muris prædicitur, aggere tuta
Lunato, inuictæque manu defenſa iuuentæ,
Santone quam, Engolimoque ſolo, populiſque propinquis
Legerat in bellum commune Thoraſsius, æquor
Audiit vt trabibus ſcindi, & dare vela Britannos.
Induit & Rupella animos, iam certa propinqui
Auxilij tumet, atque iugi ſoluiſſe pudorem
Se fremit, & partes animum diducit in omnes.
Hi Cererem expediunt, & frugibus horrea complent;
In raptas alij ſimulant ſe inquirere prædas.
Pars Martem arbitrio flectunt, & fœdera curant,
Externaſque vocant ſcelus in ciuile cohortes.
Non ſecus ac formicarum cùm forte viator
Horrea frumentis grauida, aſsiduoſque labores
Oppreſsit, corrupti operis ſarcire ruinam
Nigra cohors ardet, conuulſaque tecta reponit,
Pondera ſubuectans humeris, calleſque per arctos
Itque reditque moras rumpens; opere omnia feruent.
Sic Rupella ruit, tota ſic vrbe frequentis
Vnda fremit vulgi, & magna ſpe fertur in arma.
Pars ſublimis equo rapitur, preſsiſque lupatis
Ora regit ſpumis candentia; pars pedes ire
Armatus, denſaque parat pugnare phalange.
Cotibus hi gladios ſubigunt, enſeſque recudunt,
Aut exeſa graui tergent rubigine tela.
Vaſtam illi fornacem aptant, & follibus atros

Ventoſis ignes acuunt; ſtridentiaque æra,
Albentis maſſas plumbi, fuluumque orichalcum
Inijciunt, centumque immiſcent partibus æris
Stanni octo, quinaſque liquant partes orichalci.
Æra nitens durat ſtannum; ſimul vtraque nectit,
Datque pati iunctis orichalcum viribus ignes.
Ardet at vt primùm excoctis operoſa metallis
Materies, calidaque fluens fornace liqueſcit,
Tellurem effodiunt rapidi, foſſaque patente
Ducitur argilla formata columna tenaci,
Longa, teres, cui deinde cauo ſuperadditur alueo
Altera, complexuque inuoluens accipit amplo,
Læuior introrſum, ſpatij diſcrimine tanto,
Muralis quanta excudenda eſt machina mole,
Immittuntque cauis liquefacta metalla caminis.
Tum verò artis opus magnæ, fabricata latebris
Machina mole caua eripitur, quæ pondere ſaxa
Centuplici ſuperet vibranda, extentaque longe
Bis decies, quanto fauces diducit hiatu.
Hæc longi nomen Colubri gerit, illa Draconis,
Hæc rabiem Baſiliſci imitatur, & Aſpidis illa.
Sunt etiam alituum rapidorum à nomine dicti
Falcones, Hieraxque, atque Æſalo; & additur illis
Rex olim, poſt factus auis, iam machina Niſus.
Inde alij aduoluunt ornos, longoſque reſectis
Inſtituunt currus truncis, & ahenea curuis
Imponunt tormenta rotis, ac pondera librant.
Carbones alij tiliæ, lentique ſalicti
Congeſtos terere, effoſſumque inſpergere nitrum,

Sulphuraque immiſcere parant. intrita lauatur
Materiês vnda ardenti, quam feruidus humor
Bacchi exhalauit, tepidoque eduxit aheno.
Ferrea prætereà moles conflatur in orbem,
Tormento quæ excuſſa graui late intonet aruis,
Obuia quæque ſolo vertat, fundatque phalanges.
Immo etiam iuuat iniectis tormenta probare
Ignibus, & vires ſolidi explorare metalli.
Fit crepitus, quali ſtridunt Cyclopia tela,
Igneus exercet tumidas cùm Iuppiter iras.
Voluitur in cœlum turbo, quo protinus omnis
Horruit Oceanus, campi intremuere fragore,
Inque ſinu pauidæ prolem preſſere parentes.
O cæcas hominum mentes, & pectora dura
In peſtem ingenioſa ſuam! non tela, nec enſes
Sufficiunt? quid opus ſtygias accingier artes,
Præcipitare neces, alaſque adiungere fato?
Scilicet infernis fuit educenda caminis
Machina, quæ cœli fulmen ſimularet, & ignes,
Corpora vaſta daret, fundoque euerteret vrbes.
Mentibus vt furor incubuit, concuſſaque vaſto
Corde tumet Rupella, placet ſocia arma vocare
In partem, & populos animare in prælia dictis.
Non ſecus ac cùm flamma nemus depaſcitur ingens,
Finitimos Notus in ſaltus incendia portat.
Aut veluti quoties membra immedicabile vulnus
Corripuit, virus ſinceros ſpargit in artus,
Liuida dum totum abſumant contagia corpus.
Tectoſagum quà rura patent, quà flumine Tarnis

Spumanti rubet, & Castrensis mœnia tollit;
Pinea quà surgunt fastigia Gebennarum,
Missi oratores animos sermonibus addunt.
Seruitij iam triste iugum, atque æterna superbi
Vincla recusanda imperij, iam tempore rapto
Subiunctas sociorum vrbes, & mœnia versa
Audaci repetenda manu; iam milite classes
Aduentare graues, iam vela dedisse Britannos.
Numinis immemores summi, patriæque salutis
Agnoscetis herum, & Regi parebitis vltro?
Quæ vos sacramenta tenent, quæ vincula legum?
O patriæ obliti virtutis, nataque turpi
Pectora seruitio! non defendetis auorum
Sanguine res partas? non iam distringitis enses?
Vos Rupella vocat, ferrum prima induit, Anglos
Euocat, & vestra pro libertate rebellat.
Finis adest rerum extremus. quid in arma feroces
Non ruitis, stragemque datis? sumentibus arma
Cuncta dabit Gallus, placidaque in pace relinquet.
Cunctantem aut vester si campis distinet ardor,
Quàm facile Anglorum auxiliis Rupella, suisque
Viribus in solido rerum momenta reponet.
Numina nec desunt, iustæ fiducia causæ
Nos agit, æternum numen patriamque tuentes.
Hæc animos tanto dicta incendêre furore,
Quantum stridenti clangens tuba suscitat ære.
Stat conferre manum, crudoque in puluere belli
Exhalare animam. gaudent in fata parentes
Natorum, coniuxque virum in certamina mittit.

Iamque senes ipsi, & facies quibus aspera Martis
Visa prius Numenque, volunt decernere ferro.
Omnes dulce agitat mortis discrimen honorǽ.
Hos consangineus Subisi rapit agmine densos,
Ardenti affectans studio perrumpere ad Anglos,
Si quà fata sinant; acies nisi Regia, & arua
Obijciant longinqua moras, dorsumque Gebennæ,
Et medij rapidis torrentes fluctibus amnes.
Anglus in ore virûm multus sedet, illius armis
Quæ non præcipiunt animo, quænam obuia campis
Agmina se latura, & quas non protinus vrbes
Claustra reclusuras? cultus venit ille superni
Et libertatis vindex, authorque salutis,
Exclamant. spes tanta subest in rebus egenis.

PAVLI THOMÆ
ENGOLISMENSIS,
RVPELLAIDOS
LIBER QVARTVS.

IAM ſol arentes iterum torrebat ariſtas,
Ac triplicis vires regni, tria ſceptra Britanni
Compulerant vnam in claſſem, Boreaque ſecundo
Flectebant velis iter, & maria alta ſecabant.
Ipſe pater ſtupet Oceanus ſua marmora tantâ
Claſſe premi, tantas attolli gurgite moles,
Ac ſyluas innare mari tellure reuulſas.
Littora diffugiunt, ſolique in gurgite vaſto
Apparent fluctus, ſpatioſique orbita cœli.
Complet nauta foros, ſedet alta puppe magiſter,
Obſeruatque vias, clauumque affixus & hærens

Pyxidis

Pyxidis auxilio moderatur, acuſque marinæ,
Auſonis Amalphis quam condidit arte reperta.
Conflatur tenui ſubtilis lamina ferro,
Herculeoque acies molli datur altera frictu
Magneti tangenda, breui poſt deſuper axi
Addita pendet acus, ſuſpenſaque ſydera ſignat.
Extima nam, magnes quam decolor attigit, ora
Viribus occultis cauſaque latente niualem
Vertitur ad Boream, ſolaſque quieſcit ad Arctos;
Altera ad auſtrinum vergit diuerſa Canopum.
At ne turbetur ventis, & fallat euntes
Obliquando vias, cryſtallo includitur arcta,
Quæ viſum admittat, nullis obnoxia ventis.
Inferius quater octonos minio illita ventos
Charta notat, quo quiſque aſpiret cardine cœli,
Quo flectenda ratis pelago, quæ terra petenda.
Quippe licet ſæuis rapiantur roſtra procellis
Vltra anni ſoliſque vias, ignotaque ſurgant
Sydera, pyxis iter certum tamen explicat, & quod
In patriam reuehat pelagus, cynoſuraque quantum
Inclinet, quà primùm oriantur lumina ſolis,
Quaue cadant, & quo percurrant ordine ventos:
In fragili tantum buxo comprenditur artis.
Hac duce ſulcabant Angli freta, Gallica plenis
Hac duce torquebant proras ad littora velis.
Retenſi in medium de littore lingula pontum
Prominet, & tuta fluctus ſtatione refringit.
Externos Cancri dum Sol peruaderet ignes,
Dirigit huc curſum, claſſemque aduertit arenis

Anglus, & optatæ gaudet ſuccedere ripæ.
Pars ſeſe in freta dant, alios pons penſilis altis
In terram exponit tranſtris, atque ordine longo
Hinc atque inde cauæ circumſtant littora puppes.
Excitus ſubito ſtrepitu Thoraſsius, arma
Poſcit, & ardentes ocreas multo induit ære
Feruidus, ac ſquamis aptat thoraca rigentem,
Linea multiplici quem diuidit aurea ductu.
Terribilem capiti galeam, flammaſque vomentem
Imponit, ſummo candent cui vertice criſtæ.
Poſt fido tegit enſe latus, volucremque lupatis
Cornipedem premit, & ſumma decurrit ab arce,
Si quà turbatos, nec dum veſtigia certa
Figentes prima impediat conſiſtere terra.
Vix in conſpectu fuerant caſtra Anglica, fidens
Irruit, & ſigna impauidus fert obuia contra.
Tempeſtas campis incumbit ahena, caduntque
Tela niuis ritu; ſpumant haſtilia multo
Sanguine, & Oceani certatur limine in ipſo.
Per galeas ardent odia igneſcentia, Martis
Sæuit amor, Stygiæ vocem intendere ſorores,
Funereaſque faces torſere per agmina Diræ.
Sternuntur late populi, cadit Angla iuuentus,
Et vitam rupto moriens pro fœdere pendit.
Iamque remetiri ſpatium, claſſemque propinquam
Reſpicere, & verſis petere hoſtes carbaſa ſignis.
Fulminat horrendo claſsis cum murmure, & igne
Sulphureo, æratoque tegit late æthera nimbo.
Eripitur Gallorum oculis cœlumque ſolumque,

Franguntur latera, & densis sonat ictibus æquor.
Non toties positis quatiunt incudibus æra,
Cùm Iouis Ætnæis trifidas fornacibus iras
Indomiti versant fratres, fulmenque retractant.
Nec tot falce cadunt curui messoris aristæ,
Cùm rutila campos ardens face Sirius vrit.
Deficiunt Galli victores, vndique totis
Vsque adeo sternuntur agris, & ferrea quæque
Obuia præcipitat pila, nec quæ signa sequantur,
Nosse licet miseris, campo nox incubat atra.
Viuite fœlices animæ; prima hostia belli,
Sacrati manes. summi vos ætheris ignes,
Vos liquidi tenet aula poli. nos lilia plenis
Spargemus tumulo manibus, vestrumque per ora
Gallorum æternos adolescet nomen in annos.
Non eadem pedites habuit mens, aspera cogit
Ferre retro fortuna pedem, tutisque subire
Sedibus, & vacua trepidos excedere arena.
Infracti repetunt arcem & munimina Galli,
Ac si continuo instaret, premeretque Britannus
Terga sequens, belli illa dies extrema fuisset,
Vltimus ille labor, direptaque arce, perempto
Præsidio, externis succumberet insula sceptris.
Fata obstant, mentemque alio auertêre Britannam,
Et solem picea nocte obduxere cadentem.
Tertia vix euecta polo lux alma rubebat,
Cùm caua stridenti dat signum buccina cantu.
Explicuere acies Angli; ruit æquore toto
Obsidium in crudele, & aperta pericula pubes,

Magna animis, primæque tumens læto omine pugnæ.
At non Desjurine acies te tanta, nec æris
Terruit horribilis sonitus, iuuat Angla tueri
Agmina, quo campis incedant ordine turmæ.
Forte viros tres à reliquis procul egerat ardor
Agminibus, tardasque acies præcedere longe
Fecerat; ille ruit contra, turbæque Britannæ
Ante oculos, subito sternit tria corpora leto
Desuper altus equo. fugientem & tuta petentem
Insequiturque, premitque acies, arcique propinquat.
Ardua mirantur tanti molimina septi,
Et densa circùm muros horrere corona.
Obstupuere animis, ponuntque ferocia corda.
Non secus ac aruo in medio cùm forte viator
Lurida liuenti sinuantem corpore terga,
Rumpentemque viam, nec visum comprimit anguem,
Diriguere horrore comæ, calcemque repreßit.
Stat procul exercere minas, raucoque fragore
Perstrepere, & toto torquere tonitrua campo.
Clamosus veluti media inter nubila Lunam
Cùm videt, attollit setas, frendetque molossus,
Et vacuum frustra latratibus æthera complet.
Sic longos traxere dies, sic murmure vano
Increpuere diu, & bellum ostendère tumultu.
Tempus erat, quo Sol orbem face lustrat anhela,
Torrentur campi, suus amnes deficit humor.
Vrebat sitis obsessos, liquor omnis in arce
Aruerat, siccisque ardebant faucibus ora.
Vnus ad externi puteus quippe aggeris oram

Qui præbebat aquas, restabat inutilis, hoste
Per noctem dirum furtim infundente venenum;
Thessalicis vix quale legat sæua Emathis aruis.
Terram ergo gladiis crebrisque ligonibus instant
Effodere, abstrusos detur si promere fontes.
Sed labor impensus frustra. non humida sudant
Antra, nec exiguo tellus madet arida rore,
Fessa nec humenti reficit nox membra vapore.
Ærea stat cœli facies, non imbribus aër
Soluitur, & siccæ decurrunt æthere nubes.
Numinis at pius auxilium Thorassius alti
Suppliciter petere, atque ad sydera tendere palmas.
Summe pater, nec dum Gallos si exosus ad vnum,
Si tua quid nostros pietas æterna labores
Respicit, & iustæ cordi est defensio causæ;
Da pater auxilium, diramque euadere pestem.
Eripe res leto tenues, ruat æthere multa
Imber aqua, nec morte sinas occumbere inerti.
Vix ea. cùm pater omnipotens miseratus egenos
Atra hyeme, & piceis obduxit sydera nimbis,
Imbresque effudit densos toto æthere, donec
Pulsa sitis, puteosque lacusque impleuerit humor.
Vritur, incusatque polum, clausæque Britannus
Differri dolet excidium & fata vltima molis.
Non patris æterni auxilio præsente, nec vllis
Flectitur ominibus. stat cœlum insurgere contra,
Stat pariter pugnare viris, cœloque minari.
Fulmineas toto balistas puluere campi
Librat, & æratas torquet per sydera moles.

Illæ intus vacuum fœta latus ignibus atris
Voluuntur sonitu crepitante per aëra magnum.
Diffugère polo volucres, cœli aureus axis
Attremit, humanæque stupet vaga fulmina dextræ,
Et flammas sonitusque imitatos horret Olympi.
Ecce autem immani subiectam pondere in arcem
Præcipitat, vastoque ruit cum murmure moles.
Protinus inclusi vis ignis frangit ahenas
Eluctata pilas, & ferro spargitur agger,
Tectaque inextinctis ardent correpta fauillis.
Sic scopulos rotat arte pari, perque æthera magnum
Telorum vibrat omne genus, cumulatque ruinis.
Quales cùm Superis bellum mouère Gigantes,
Pro iaculis vastas vibrabat Monicus ornos,
Totosque Enceladus torquebat in aëra montes.
Risit turba Deûm, sensit Phlegra vna ruinas.
Sic Anglas spreuere minas, sic ferrea Galli
Fulmina, & insanos hostis risere tumultus.
Non tulit impatiens ludibria tanta Britannus,
Aggrediturque nefas, Scythico vix quale sub axe,
Barbara vel Lybicis gens moliretur arenis.
Retenses tectis pulsas compellit ad arcem
Ire nurus, blandisque viros mollire querelis,
Vestigare aditus, epulasque exposcere natis,
Solamenque famis. subeunt obliuia tædæ
Amplexusque viros. subigit penuria rerum.
Impius at miseras durorum ante ora virorum
Ense ferit nudo, tenerosque sub vbere natos
Spargit humi, & cerebrum fuluis illidit arenis.

Quæ, pueri, vobis tam ſæui pondera fati
Sors dedit, inſonteſque animas in limine primo
Eripuit vitæ? an ſanctos vt Gallia poſthac
Vos habeat, veſtriſque colat tenera oſſa ſepulcris?
Occiditis medijs matrum in complexibus, vna
Sors matres prolemque premit, nec profuit ætas.
Diſsimulat tamen ille nefas, animumque benignum
Accipit, & miſsis clauſos mollire tabellis
Tentat, & ingentes animos infringere laude.
Iam multo nomen partum immortale labore
Nuntiat, & iuſtas pacis ſe indicere leges,
Diſcedant, neque ſumma adeant diſcrimina rerum.
Quid poſt vxorum atque inſontis funera prolis
Non auſit virtus? eadem qua fata ſuorum
Arce procul, ſicciſque oculis tingi arua cruore
Viderat, ægreſcit lætis. ſedet omnia dura
Antè pati, & quemuis vltro perferre laborem;
Atque adeo æratis reſponſat ab aggere nimbis.
Forte nigra ſubtexuerat caligine cœlum,
Abſtuleratque diem nubes fœta imbribus atris.
Improuiſus adeſt arci, tenebriſque Britannus
Defenſus potitur Lunato cæſpite furtim..
Ignitis grauidam cùm Sol altiſsimus orbi
Abrupit nubem radijs, lucemque reduxit.
Detectis fremit inſidijs, ſocioſque laceſsit
Ad pugnam longa ipſe furens Thoraſsius haſta,
Et ruit in medios. Date tela, & ſtringite ferrum,
O ſocij, metite imbellem ignauamque iuuentam,
Et ferro penſate dolos. His concita fertur

Galla manus, totaque hostes procul arce retrudit.
Occidis Anglorum decus ingens Vere, nec alta
Texit te virtus, non experientia Martis.
Occidis Ostendæ pridem auxiliatus Jberos
Et Belgas contra. Germanis obuius armis
Stare ausus Rheni ad ripam, Federicus auito
Cum cessit pulsus solio; ingressusque potentis
Tecta Bredæ, & longo tutatus mœnia bello es.
At Gallùm elabi telis, patriasque redire
Sedes fata vetant. traiectus tempora plumbo
Das animam, victusque iaces Retensibus aruis.
Morte ducis turbata acies fugit, & quia versis
Cœpta cadunt fatis, vsum intercludere ponti
Terrarumque parat, pelago ne forte, solove
Falleret auxilium indeprensum, arcique veniret
Subsidio, & longi differret tædia belli.
Prædicit fossas arci, valloque coronat;
Littora nauigijs centum, totidem obsidet arcem,
Insternitque humili vacua interualla carina,
Et rigidis firmat malis, & robore secto
Intexit, tortoque ligat tabulata rudente.
Jnfremuit fundo Oceanus, gentisque superbæ
Detrectat parere iugo; commota refundit
Imis stagna vadis, iniectaque vincula rumpit
Iratus, fractasque agitat per cærula cymbas.
Qualis cæruleis inclusus molibus ignis
Luctatur, cœlumque quatit, nisuque potenti
Collectam nubem, & cohibentia claustra refringit.
Signiferi Sol astra duo percurrerat orbis,

Nec

Nec Gallam aduentare sibi Thorasius alto
Prospiciebat opem. Defecta Marte rigebant
Continuò vires, languebat militis ardor,
Nec prius emissa repetebant littora puppes,
Siue metu, & reditum classis diuersa vetabat,
Seu medio reduces inuoluerat æquore turbo.
Pectore tres magno iuuenes, manus inclyta bello,
Æternæ laudis stimulis, patriæque salutis
Accensi desiderio, per cærula nando
Ire petunt, Regique arcis memorare labores.
Da veniam, referunt, Thorasi fortibus ausis,
Nec iuuenum cœpta incuses, non grandia ab annis
Facta probes, nos per classes & castra Britanna
Longinquum per iter fluctusque enare paramus
Littus in aduersum, & Regi tua iussa referre.
Est animus nobis, vitam qui laudis amori
Posthabeat, nec morte decus venale recuset.
Tum dextras cœlo tendens Thorasius infit:
Summe pater, cuius Gallum sub numine sceptrum est,
Non penitus miseram statuisti exscindere gentem,
Qui tales animos & viuida corda tulisti.
Magnanimi at vobis iuuenes, quis digna rependat
Præmia, quæ tantam virtutem munera pensent?
Numen Rexque dabunt non immemor, ipsaque virtus,
Vestraque venturi clarabunt facta nepotes.
Et nos, sit quamuis tenuis fortuna, talentum
Cuique damus cum militiæ maioris honore.
Pellere si verò campis Retensibus hostes
Contigerit, forti excipiam spolia ampla, laboris

Præmia, & exuuiis iam nunc vos ditibus orno.
Ite mihi chari iuuenes, quos pectore toto
Accipio, pulsate fretum, Regique labores
Narrate obsidij, & quorum pars magna fuistis.
Poscite opem, & tantis socios arcete periclis.
Hæc fatus dextra petit hunc, illumque sinistra,
Illius amplexu pendet, famaque perennis
Incendit stimulis, animosque & pectora firmat.
Vt primum verso incubuit nox humida cœlo,
Exutas illi vestes & cingula ponunt,
Descriptasque manu Thorasii ad colla tabellas
Appendunt buxo inclusas, validosque lacertos
Alternant, spumis canet stridentibus æquor,
Cærulea insuetis agitantur marmora palmis.
Retenses inter campos classemque Britannam
Carpit iter nando medium deuota iuuentus.
Nunc merguntur aquis, nunc exstant corpore toto,
Et varios ineunt cursus, luduntque per vndas
Delphinum similes, positis cùm sternitur æquor
Flatibus, inque vicem sese prauertere certant.
Quales aurigæ campo rapiuntur apertis
Carceribus, tenduntque viam, euaduntque per agros
Præcipites, palmæque decus sibi quisque requirit.
Transierant classem, prætentaque carbasa ripis,
Addunt se in spatia, & mutatis arte lacertis
In latus, vnda sinus aperit, percussaque cedit.
Vt modò dimissi fugiunt, agit ignea virtus,
Anticipantque viam, sulcosque per æquora ducunt.
Miratur sub aqua Neptuni exercitus omnis,

Tritonasque nouos ponto succedere retur.
Iam procul adnabant terræ, cùm liuida tantis
Inuidit fortuna animis, defectus & vnus
Viribus ima petit pelagi, velut imbre papauer
Deyciens caput, & medijs inuoluitur vndis.
Excidium comitis casumque exhorruit alter,
Et similis iam mortis habet pauor. vndique gurges
Terret, & effœtæ languent in corpore vires.
Non palmæ variare vices, non ilia flatus
Sufficere in cursum, toto vis corpore cedit.
Quid faciat? nec enim retro vestigia ferre
Fata sinunt, neque quod superest transnare profundum.
Pœnitet heu cœpti, nomenque ambisse superbum.
Haud procul excubiis vigilum forte hostica pinus
Pontum obsidebat; trepidus naui adnatat, hostem
Implorans, vitamque petens. Quò nobilis illa
Mens abyt leti contemtrix? viuere tanti
Num fuit, vt turpi immortalis fama periret
Pro vitæ desiderio? pelago eripit hostis
Semianimem, salsos reuomentem pectore fluctus,
Ausaque magnanimæ discit nocturna iuuentæ.
Tertius aduersa sociorum haud sorte repulsus
Enatat, & certam sequitur per cærula palmam.
Hostis terga premit, lentatque per æquora remos,
Vestigatque virum, pontoque immergere quærit.
Ter conatus erat liuenti perdere plumbo,
Ter frustra vano crepuerunt æra fragore.
Ille vias animi fidens obliquat, & vndis
Mersus abit longo subter vada cæca natatu,

Destituitque vagis errantem in fluctibus hostem.
Pectore nunc pulsat, verso nunc æquora tergo,
Ventre supinato, mutatioque ipsa quieti est.
Obsidet at grauior pestis, iam turbida nimbus
Æquora miscet atrox, vertitque à sedibus imis,
Et iuuenem fera iactat hyems. sors ne aspera semper
Rerum summa premis, cœptisque ingentibus obstas?
Parce pio Tethy iuueni, da pergere cursum,
Non tua Sestiadis thalamus per stagna puellæ
Quæritur, vrget amor patriæ, meliorque cupido.
Auxilio properate, hominum si cura piorum est,
Delphines, pelago iam maior Arione fertur.
Nec tantùm egregius fluctu assultante natator
Tunditur, hunc etiam diri facto agmine pisces
Adlambunt, morsuque petunt, quos ipse sonoris
Plausibus, excussis manibus pedibusque repellit,
Ac tandem in littus sterilemque euadit arenam.
Qualiter ad placidi decliuem fluminis oram
Ludit, & inuentos pubes lasciua lapillos
Poplite subsidens, inflexaque corpore toto
Proijcit, excussus radit lapis æquor aquosum
Subsiliens, summisque natat, nec mergitur vndis,
Ac tandem extremæ consistit in aggere ripæ.
Fessus at ille, & mentis inops, & frigore torpens
Adrepit genibus manibusque ad proxima tesqua.
Vasconiæ immortale decus, clarique Garumnæ
Accola sis fœlix, magnus iam numine dextro
Nuntius i Regi, & mandata ingentia perfer.
Dum tuus vndantes spumosa per ora Garumna

Voluet aquas pelago, cœlum dum sydera pascet,
Si quid apud seros poßit mea Musa nepotes,
Vsque tuus florebit honos, & gloria facti.
Clara quater pulchro iam Luna recreuerat orbe,
Insesßisque vijs terraque saloque ferebat
Nullus ad arcem aditus; Cererisque & munera Bacchi
Deficiunt absumpta, vocat sors vltima Gallos.
Ipse indignatur tenui pro cæspite miles
Tanta pati, pugnare fami, Anglorumque furori.
Æternæ peperisse sibi præconia laudis
Marte fremit longo, & Cererem pacemve reposcit.
Qua non tentauit socios prece, & æger in ora
Quæ se non vertit Thoraßius? Ergone vester
Sic labor effusus frustra, magnæque peribit
Virtutis decus, & tantis laus parta periclis?
Iam toties animas ferro obiecistis, & vltro
Quæsistis pro laude mori. quid deinde pauetis?
Quid grauius nam morte fames habet? omnibus hora
Stat fati, inque dies morimur, diuersaque quamuis
Sit via, certa tamen metam nos ducit ad vnam.
Fœlices, ingens quos vexit ad æthera virtus.
Vos Galli columen, vos & spes maxima sceptri,
Prodere quam pudeat. Nostri iam fama pericli
Auribus insonuit Regis, iam frugibus almis
Atque viris onerat puppes. Nec enim ille quiescit,
Non magni mens Richelij, quam prouida Gallis
Natura eduxit; vos ô durate, animosque
Colligite, obtestor, durisque obsistite rebus.
Auribus hæc surdis frustra iactabat, & illos

Sæua vrgent propius ieiunia. Fortibus obstat
Dura fames monitis, animosque auertit egestas.
Ergo fusus humi querulas ad sydera voces
Iactat suppliciter tristis, lacrymansque profatur:
Summe hominum Diuumque pater, qui sæcula torques
Æterno Deus imperio, infususque per orbem
Totum agitas, nullo spatio nec finibus arctus.
Tu pacis bellique potens, tibi militat omnis
Ætherea compago plagæ, sua flumina Tethys
Nutu agitat sternitque tuo. tu in limite Gallo
Tela Arabum quondam fregisti, Anglosque furores:
Sic nostri miserere, & summa despice ab æthra.
Tabent ora fame, languent in corpore vires,
Hostis habet campos, infestatque æquora late.
Vna salus à te nostram sperare salutem.
Vitæ equidem meritâ luimus mala crimina pœnâ,
Suffusi at lacrymis oculi, repetitaque tristi
Pectore te moueant suspiria, tunsaque corda.
Sit satis irarum, & virgam ostendisse minantem.
Parce pater, nostrumque leues Rex summe laborem.
Vix ea fatus erat lacrymans, auditque tumultu
Insolito mugire salum, cœloque sereno
Turbari, & piceos iactari nauibus ignes.
Jam magis atque magis fragor intonat, & caua circùm
Littora pulsa fremunt, collucetque ignibus æther.
Non aliter solido Titanes torta adamante
Vincula cùm rupêre furunt, & tartara miscent.
Nox mediam cœli metam intempesta tenebat,
Nullaque erat cœlo Phœbe, sed Cancer ad ortus,

Auroque armatus multo fulgebat Orion;
Andromede medium cum matre exegerat orbem,
Alcidesque genu subnixus verticis ignes
Merserat Oceano. Thorassius aggere ab alto
Conclamat socios. precibusque & pectore firmo
Nunc opus ô socij, votis onerate frequentes
Æthera, non gemitus nostros rapuere procellæ.
Audijt omnipotens genitor, perque æquora mittit
Auxilium, quod, mens velut augurat, hostis arena
Pellere connixus, tantos ciet æquore motus.
Prosiluere omnes trepidi, templumque vaporant
Thure pio, & duplices tendunt ad sydera palmas,
Ingeminantque preces. mox ecce ex aggere cernunt
Triginta longas ripæ succedere puppes,
Lectorumque hominum florentes ære cohortes
Quatuor, erumpunt subiti, & cœleste fatentur
Auxilium, rapiuntque dapes, arcique reponunt,
Successu læti rerum, oblitique malorum.
Interea pater omnipotens in vertice mundi
Sederat, & Gallis mittebat lumina terris.
Ardebat facies pulchro magis aurea sole,
Electrique color, qualis fornace profunda
Cernitur, immistum argento cùm liquitur aurum,
Spargebat circùm radios, & lumine Sarda
Nobilis, & multo stellabat Jaspis honore.
Diuinum viridi pretiosæ luce smaragdi
Cingebant solium, qualis cùm roscida surgit
Iris, & imbriferum lentat sub nubibus arcum.
Cœlicolûm adstabant animæ, quas sena volucri

Remigio ala tegit, geminæ capita ardua pennæ
Obducunt, totidemque sacras talaria plantas,
Ac binis per inane ferunt mandata Tonantis.
Has inter Gallæ quondam Rex inclytus oræ,
Quem Pelusiacus carcer, Libycique labores
Euexere solo sublimem, astrisque dedere,
Constitit ante Deum LODOICVS, *& ora resoluit:*
Rex Cœli terræque potens, & cuius ab ore
Rerum omnis natura trahit fœliciter ortus;
Magnus consilijs, nec menti peruius vlli,
Et qui cuncta vides, iustoque examine pendis.
Finibus ecce suis emissa Britannia sæuit,
Classe fretum tegit armata, Gallisque potita
Littoribus bellum spargit. Retensia quartum
Iam mensem premit arua ferox, valloque minatur,
Iam defecturæ imperium spe præcipit arcis.
Rex morbo interea Gallus cubat, igneus vrit
Ossa dolor, fessis vigor excidit artubus omnis:
Nec vis dira mali medica mansuescit ab arte.
Quid tantum ille rogo meruit, quid Gallica tantum
Natio commisit sceleris, tot vt vndique pœnas
Perferat, & gentis veniat sub iura superbæ?
Certe equidem rebar tranquilla in pace nepotem
Victurum, & seræ post tempora longa senectæ
Cœlicolûm aucturum numerum. aut si fortè feroci
Tela forent tractanda manu, bellacis Idumes
Classe petiturum longinqua per æquora palmas.
Quæ tibi summe pater potior sententia sedit?
Olli hominum Diuûmque sator respondit, & ore

Quod

Quod cœli æternæ mentes, quod Olympus adorat,
Hæc ait, & fati leges seriemque reuoluit.
Parce metu LODOICE, *tui inconcussa nepotis*
Fata manent; cernes summo cœli axe locatum,
Egregiis postquam virtutem extenderit actis.
Fabor enim, quia sollicitum te cura remordet,
Ciuica pro sacris assuescet bella tuendis,
Externos reprimet cultus, arasque reponet,
Et nostra populum sub relligione tenebit.
Illi in bella comes veniet, Romana merentem
Purpura quem decorat, mansurum in sæcula nomen
Richelius, cuius monitis curaque sagaci
Molibus arcebit freta, Rupellaque potitus
Eruet ex imis munimina fundamentis:
Obijciat licet Angla moras, & carbasa contra
Biscentum obuertat classis, quam gurgite toto
Disijciam, rapidisque dabo ludibria ventis,
Cum Rupella malis victam patefecerit vrbem.
Protinus aërias victricia signa per Alpes,
Perque niues, per clausa gelu loca, & inuia saxa
Ducet, & oppressa vi Segusione superbus
Terrebit gentes Italas, pacemque reducet.
Atque adeo iam iam capienda Casalia, magno
Imposita Eridano, Euasij tutissima sedes,
Effugietque minas Hispani inhiantis, & arma
Allobrogum, Dominumque suum intra mœnia longum
Post Martem accipiet Gonzagam, atque arce locabit.
Tantum sola tui auxilium dabit vmbra nepotis.
Hinc spolijs grauis & magnis virtutibus auctus

Se patriam ingentem referet, Rhodanoque remensô
Priuatum exſcindet, tutos licèt aggere muros
Defendat bis mille virûm manus, ardua rupes
Attollat capita alta licèt, vallumque ſuperbum.
Submittet Gebenna iugum, ſub iuſſa Nemauſus
Pòſt veniet, vitreumque bibens Caſtrenſis Acutum,
Arduaque ad tumidum ſurgunt quæ mœnia Tarnem.
Iamque adeo terdenæ vrbes, cultuſque profani
Relliquiæ, ſibi quas longos ſtatuêre per annos,
Vltro arces vertent cunctæ, & mandata faceſſent.
Ille, volo, placidas terrarum flectat habenas,
Bella manu pacemque gerat, ſitque arbiter orbis,
Donec reddatur cœlo, votiſque vocetur.
Interea celeri ablatus per nubila lapſu
Ambroſiæ miſce panaceam, ægroque nocentem
Corpore pelle luem, & tanto medicamine cura.
Maturare iube, lituoque accendere bellum.
Finierat; lætumque ſimul pæana dedêre
Cœleſtes animæ, & ter ſancti Numinis ore
Purpureo æternas laudes dixere canendo.
Per vacuum celeres LODOICVS *inane volatus*
Carpit, & ingenti rapitur per nubila gyro.
Ac procul aëriys luſtrans de nubibus orbem,
Terraſque tractuſque maris, delabitur oris
Pariſidûm citus, & Lupara ſuperadſtitit arce.
Jnde ægrum inuiſit Regem. Stat plurima vultu
Maieſtas, roſeoque ſacrum decus enitet ore,
Ambroſiæ decorant Regum de more priorum
Collum humeroſque comæ. deſcendit cærula ad imos

Palla pedes, auro pingunt quam lilia circum.
Sicque prior multo manifestus lumine fatur:
O summo dilecte Deo, mea maxima cura,
Chare nepos, supero certus tibi nuntius axe
Aduenio, æternique ferens mandata parentis.
Segnes rumpe moras, ipsius numine fretus
Progredere, aduersosque ferox fer pectus in Anglos,
Fœdere qui rupto tua bello regna lacessunt
Infidi, & campos Retenses milite complent,
Iamque arcem eruerint, ataui nisi cura resistat.
Ardeat in pœnas animus, Rupellaque vires
Sentiat vltricis flammæ, communis erinnys
Gallorum, belli fomes, scelerumque magistra.
Dixit, & occulte medicans haurire salubres
Dat Regi ambrosiæ succos, panacesque potentis,
Et sese auertit, tenuesque recessit in auras.
Protinus ex omni decessit corpore languor,
Et nouus impleuit venas cruor, ossibus ignis
Excidit, & solidæ rediere in pristina vires.
Miratur Rex ipse suo florere iuuentam
Robore, & infandum penitus fugisse dolorem.
Corripit è stratis corpus, genibusque volutus
Sustulit ad cœlum palmas, supplexque profatur:
Omnipotens belli præses, qui sceptra potenti
Concilias adimisque manu, sternisque superbos,
Cuius læta sacro constat victoria nutu;
Alme faue, facilisque animos Deus adde paratis
Iussa sequi, & quemuis vltrò exhaurire laborem.
Vimque meæ dextræ, mucronemque adijce telis,

Daque tuum noſtro defendere ſanguine numen.
Hoſtibus at bone parce meis, dextramque potentem
Contineas, noſtræ leuis eſt iniuria cauſæ.
Tuque ô ſancte parens, Diuis decus addite, cœptis
Annue, daque tuam virtutem æquare ſequendo.
Dixerat. aſſurgunt iræ, Luparæ aurea tecta
Ære ſonant, Rex arma fremens, arma, arma requirit,
Affiniſque dolos, violataque fœdera damnat.
Sopito veluti domino cùm corripit ignis
Atria, & immiſſis crepitat Volcanus habenis,
Iam flammæ exſuperant, volitantque ſub aſtra fauillæ.
Ille ſopore graui excuſſus conſurgit, & amnes
Infundit totos, gliſcenteſque opprimit ignes.
Aut veluti Ligeris torrenti flumine campos
Aggere cum populat rupto, & ſata læta reuellit,
Iam maris in ſpeciem arua tegit, rapit obuia ſecum.
Accola in auxilium ruit, inſtauratque ruinam
Aggeris, & compeſcit aquas, ripiſque coërcet.
Sic vnus Regem ardor habet prohibere Britannum
Duro Marte nefas. venis Deus inſidet imis,
Regemque intus agit, belliqueinſpirat amorem.
Engolimi Dux clarus agri, cui grande parentis
Nobilitas præbet nomen, ſanguiſque Valeſius,
Primus ſtare hoſtes contra, pubemque iubetur
Armare, & totis acies opponere campis.
Protinus in Martem veniunt, quos Somona pulchro
Amne ſecat, vitreoque argenteus Axona riuo.
Matrona quos ſtringit, quos Sequana nobilis vndis,
Quos Lonius, viridique alueo quos ſtringit Icaunus,
Ingentes animis, longiſque horrentia contis

Agmina. iungit opes Ligerim qui potat amœnum,
Quos Elauer Carisque rigant, rapidusque Vigenna,
Oraque diuitibus pascis quos Pictonis aruis.
Jamque omnes spolia ampla animo, certamque feroces
Præcipiunt palmam, & Rupellæ extrema minantur.
Regis & ad bellum frater ruit, altera Galli
Spes regni, virtute ingens. illi aurea latos
Circundat lorica humeros, quam lilia docta
Arte laborata insternunt, insigne paternum,
Ductaque subtili intercurrit linea filo.
Summi illum stipant iuuenum, Mauortia pubes,
Et comes auratis graditur Belgardius armis
Iam senior, grataque vigil cura excubat, & qui
Præfectus facili imperio rura Ædua torquet.
Ibant at Regi comites, curaque leuabant
Illustres animæ, Tyberino lucidus ostro
Richelius, vasto ingenio & virtutibus altis,
Sacri Consilij princeps, qui Gallica curat
Æquora, riparum magnus sinuumque magister.
Ac Bassompetra egregius, quem densa sequuntur
Auxilia Heluetium, ferroque assueta iuuentus.
Tertius insignis Schombergius inclyta proles
Gasparis, in grauia eductus qui tempora regni,
Gallica dum fremeret tellus ciuilibus armis,
Terdenos senosque trium fœliciter annos
Seruitio Regum expleuit fidissimus, & qui
Germanorum animos Gallis, magnasque potentis
Conciliauit opes populi, sceptrumque Polonum.
Filius at melior patre consilijsque manuque,

Et magnos Galli imperij seruatus in vsus
Fertur equo, magnumque aliquid molitur in Anglos.
Sic alij proceres ibant, quos viuida virtus,
Quos patriæ, quos Regis amor, cultusque supremi
Cura tenet, viduantque suis cultoribus agros.
Sicut vbi mundi ardebant torquere Gigantes
Imperium, pulsumque Iouem detrudere cælo,
Impositisque polum pulsabat montibus Ossa.
Conuenere Iouem diui, iunctaque phalange
Demisere Erebo deiectis montibus hostes.
Loricam at multo triplicem Rex induit auro,
Fulmineam, ingentem, galeamque comantibus aptat
Terribilem cristis, bellatoremque superbus
Flectit equum, rutila radiant cui lumina flamma,
Impatiensque quatit campum, sub dentibus aurum
Mandit, & ingenti fremitu sonat. ipse tuendo
Gaudet, & ardentes stimulis Rex incitat iras,
Ac peditum rapit ære graues equitumque cateruas.
Qualis per Rhodopen Æmique per aspera Mauors
Incedit capita, aut Geticis pubem euocat aruis:
Ante metus terrorque volant, stupet amnibus Ister
Assurgens quinque, & tremulo pauet æquore pontus.
Sic ruit, ingentesque minas Rex pectore versat,
Ardua sublata testatus sydera dextra,
Rupella nisi deuicta se mœnia nunquam
Parisidûm retro subiturum, & destinat vrbis
Ad delubra pio claues suspendere voto.

PAVLI THOMÆ ENGOLISMENSIS,

RVPELLAIDOS LIBER QVINTVS.

POSTQVAM conuenere acies, Marſque horruit aruis,
Rupellam ducit Gallus; namque omnis in vna
Rupella ſtat cura, caput cauſamque furoris
Totius eſſe, truces atque inuexiſſe Britannos,
Ceſſuros quos arce ſtatim, & Retenſibus aruis,
Vrbem ſi videant preſſam obſidione rebellem.
Sicut vbi maleſana lues depaſcitur artus,
Subtilis tenui violatur vulnere vena
Diuerſa ex parte, auertitque reſecta dolorem.
Non tamen Anglorum cecidit fiducia, ductor
Hortatur dictis ſocios, atque increpat vltro.

Ne vos virtutis teneant obliuia vestræ,
Nec fragor armorum auditus, conspectaque longe
Regia castra metum incutiant, ait, vndique gurges
Diuidit, Oceanique vada interfusa coërcent.
Classe opus est, nec si Gallûm nemus omne veniret
In classem, auderent ratibus concurrere vestris.
Non tenuis pars laudis erit, coram agmine Gallo,
Regisque ante oculos hostile exscindere vallum.
Insula iam in manibus nostris, fossa vna moratur.
Durate, illustresque breui sperate triumphos.
His dictis accensa super furit Angla iuuentus;
Qualis vbi campis oleastri incensus honore
Pisæis ruit auriga, increpuitque flagello,
Præcipites rapiuntur equi, volat æquore currus.
Aut velut Ionia quoties lentatur in vnda
Palmula, & insidunt transtris, quos nautica collo
Vincla premunt, humeros nudi, intentique lacertos
Audito verrunt obnixi cærula signo.
Sic instant Angli ardentes, sic littora late
Explorant portusque cauos. Nec segnior arcem
Excubijs toto obsidit custodia campo.
Insanæ quantum mentes, fastusque Britanni
Gallorum incendère animos? Retensibus aruis
Prætentas númerant puppes, & castra tuentur.
Suscitat irarum fluctus præsentia rerum,
Interfusa fremunt, dirimant quod marmora pugnam.
Rex ergo proceres magnum sub pellibus ipsis
Ad cœtum vocat, & quæ sit sententia cuique,
Quisve animus fari iubet, an deducere classem

Portubus,

Portubus, & dubio par ſit committere Marti,
An furtim auxilio obſeſſos opibuſque iuuare.
An melius circumſpiciat quis mente, repoſcit.
His dictis ſiluere omnes, flexiſque tuentes
Richelium ſignant oculis, & ſenſa profundi
Expectant animi. Surgens ſic incipit ille:
Optime Rex, decus hoc aui, iuſtiſſimus vnus
In terris, belloque potens, cui militat æther,
Quem ſubiungendis miſerunt fata Britannis.
Non ego roſtratis ſternendum nauibus æquor
Eſſe reor, volucrique audendum cernere claſſe.
Qua ſuperant vitandi hoſtes, fugiendaque pugna.
Longa dies Anglos docuit faſtidia ponti
Dura pati, pelagoque vehi, & concurrere roſtris.
His vaſta trabium moles, & fluctibus arces
In medijs, columen patriæ, longa arte paratæ.
At quoque difficile eſt ſubmiſſis nocte ſilenti
Obſidium trahere auxilijs, ita ſedulus arci
Inuigilat, campiſque marique effunditur hoſtis.
Immo age rumpe moras, ac totis delige caſtris
Indomitam pubem, & florentes ære cateruas:
Has iubeas tranare, improuiſiſque carinis
Arce procul ſuperare fretum, quà proxima ſurgunt
Littora, campeſtrique inuadere Marte Britannos.
Nempe dabunt acie pœnas, aut ſoluere longum
Obſidium, atque tuis cogentur cedere regnis.
Conſilio aſſenſere duces, plauſumque dedere;
Rex hæret ſedenim, mittat quem trans vada dignum
Salſa ducem, tantæque parem ſuccedere moli.

Cùm subijt, qualis Schombergius esset in armis,
Quantus consilijs, qua vi distringeret ensem,
Verteret ac muros; iuga dum Rex ipse premebat
Pyrenes, dum Pictonico fundebat in agro
Subbisium: aut rapidum ad Tarnem, refluumq; Garumnę,
Cliuosumque ad Mompelium surgebat in arma.
Ergo illum solitam virtutem adhibere, virisque
Delectis sex mille iubet transnare patentem
Oceanum, & iam iam Retensi appellere terra,
Ac meritam duro stragem dare Marte Britannis.
Quin legit & Rex ipse viros, qui marmora tranent,
Quæ campis tendant acies; quonam ordine pugnent
Signa monet, cornu cui detur cura sinistri,
Cui dextri, & pictâ describit cuncta tabellâ,
His acuens dictis animos; Lectæ ite cohortes,
Ite meâ tutæ fortunâ, & numine dextro,
Fata fauent, cælumque audacia cœpta secundat,
Ipsa viam posito pandunt strata æquora fluctu.
Quingentos in bella rapit Remburius asper
Duratos ferro iuuenes, Belmontius hastis
Tot pariter fremit, & Plesius lecta agmina iungit,
Mallereusque genas primo cui flore iuuenta
Vestit, & æternæ iam tum vmbrant tempora palmæ.
Mille Nauarra viros Burio duce trans freta mittunt
Agmina, Taurina totidem è legione vehuntur
Assiduo experti Marte, & præstantibus ausis.
Hi quianam Cotiæ insidebant culmina rupis
Præsidio, dum Taurinum atque Insubria Gallos.
Spectabant dominos, nomen traxere, tenentque,

Pax ſcopulis licet Alpinis reuocarit iniquo
Fœdere. Virtutis manet indelebile nomen.
Quin quibus & Regis datur inuigilare ſaluti,
Arma mouent, & agit denſos Canaplius audax,
Magni progenies Crequij, qui montibus altis
Verrucam impoſitam aduerſus tela omnia texit
Auſoniæ, Hiſpanaſque acies, Germanaque pila.
Quique Philippino Allobrogi iuuenilibus annis
Ad Rhodanum viuacem animam ſæuo abſtulit enſe.
Biſcentum ære graues equites criſtiſque ſuperbos
In Martem rauca æra cient. Virtutis amore
Jungit opes quoque clara manus, fortiſſima bello
Pectora nobilium tercentum, & ſanguinis alti.
Cominus his ſtare eſt animus, latoque Britannos
Haſtili petere, & magnis ſe prodere factis.
Æſonida qualis quondam duce Theſſala pubes
Colchica Peliaca turbauit littora pinu.
Poſtquam omnes animis pariter ferroque parati
Conuenere viri, & rauco tuba perſonat ære.
Diuerſis Rex ire viis, nec ſoluere ab vno
Littore delectas acies iubet, obuius illis
Ne foret, & celſis vrgeret puppibus hoſtis.
Sors quibus at prima dederit conſidere ripæ,
Caſtra fouere monet, legio dum cætera cæcum
Carpit iter, donec ſuperatis fluctibus adſint,
Crudaque collatis omnes dent prælia ſignis.

Littore Santonico locus eſt, quem multa coercet
Circumfuſa palus ſale nobilis. æquore ab alto
Alueolis ductos breuibus capit area fluctus,

Inque ſalem Sole ardenti coquit, enatat ille
Spumeus, albentique nitet tota area flore.
Deterior fundo ſubſidit grumus in imo.
Iam quondam huc variæ vertebant roſtra carinæ,
Quas ſalis excibat penuria, quaque redibant
Merce graues, miſſa in littus de naue ſaburra.
Hanc longo in tumulum ſpatio molemque ſuperbam
Tandem aſſurgentem firmauit ceſpite primum
Pontia gens, maliſque altis, & robore ſecto.
Tum fidam ob portus ſtationem & tuta carinis
Hoſpitia (obiecto Vliarus quippe inſula dorſo
Imminet, & ventis late indignantibus obſtat)
Muroque & foßis circùm vallauit apertis,
Ac iam finitimæ Rupellæ vrbs æmula ſurgit.
Iacopolin dixere prius, nomenque nepotes
Victurum à fluuio præterlabente dedère.
Hîc tranaturus Schombergius admouet agmen
Nobile clarorum procerum, turmaſque rigentes.
Aſt alij diuerſa petunt, quam quiſque ſecat ſpem,
Hanc agitat, cymbaſque parat. Canaplius audet
Primus in aduerſum ratibus decurrere littus,
Et reliquis aperire viam, euentumque ſubire.
Quem ſequitur Pleſius, paribuſque freta ardua curis
Intrantes, cunctos adituſque locoſque pererrant.
Inuadit ripæ ſubeuntes Anglus, & arce
Deſerta fremit, ac littus præcludere tentat.
Qualis vbi à ſtabulis Lupus aduentante moloſſo
Depulſus, totam rabiem conuertit in illum,
Trux oculis, iraque tumens, & fulminat ore:

Haud aliter furit Angla manus, totumque superbis
Prætexit littus signis. Canaplius instat
Aduersus, sociosque ferox exponit in vlua.
Quod votis optastis, ait, sors annuit vltro,
Hostis adest, firmate animos, ferro ite corusco
Vltum perfidiam, quaque est densissimus hostis,
Spicula dirigite, & sceleratum extinguite nomen.
Certatim incurrunt Galli, & raptim agmine facto
Littora sicca tenent, strictis ripa ensibus horret.
Iam bello ancipiti cernunt, duroque Britannos
Marte premunt. Illi ardentes immania contra
Arma ferunt, pugnamque obeunt, & littore pulsos
Humentique graues veste, ad sua rostra repellunt.
Qualis vbi ingeniosa pila veloce iuuentus
Ludit, & adducto in murum volat acta lacerto,
Alteriusque manu grauiore remittitur ictu.
At Plesius sociique audenti pectore clauum
Ad littus torquent rapidi, moxque hostibus instant.
Fit via vi, laxis exercitus aduena signis
Jam trepidat, vertitque acies, & territa nudat
Terga fugæ, spumant Anglo freta lata cruore.
Insequitur victor, campoque potitus, & hostis
Cæde madens, vdo designat littore castra.
Interea legit exiguis Schombergius æquor
Nauibus, & magnis metitur cærula votis.
Quinquaginta illum cymbis, & remige multo
Prosequitur generosa manus, portumque relinquit.
Iamque recedebant terræ, Vliarique feracis
Littora, & Oceani pinus vada lata secabat.

Cum Stygiæ regnator aquæ sibi certa parari
Fata dolens, propiusque malum impendère Britannis,
Deque suis actum iam partibus; ardua mundi
Fundamenta quatit, pallentisque horrida regni
Agmina conclamat. Quid vos in damna necesque
Cessatis? vento mihi gens inimica secundo
Implet læta sinus, Retensique adnatat oræ.
Obruite, aut toto classem dispergite ponto,
Dum cadat arx obsessa diu, cedatve Britannis.
Dixerat; & dicto citius turba omnis in auras
Prorumpit, certatque suo parere tyranno.
Aëra pars densat nebulis, & corpora miris
Format imaginibus; (nimbo hæc liuescit opaco
Noctem imbremque ferens, hæc turbine fœta rotatu
Voluitur immani, sæuis grauis ignibus illa
Murmurat horrendum, & latè succensa coruscat.)
Pars ventis dant fræna vagis, & cardine ab omni
Æquoraque & terras vertunt à sedibus. atra
Surgit hyems, pelagus tumidis in fluctibus omne est.
Erigitur totum in scopulos, & surgit in astra.
Intremuere viri, & gemitum trepido ore dedère.
Hi liquidum immani attolluntur in æthera dorso,
Hi vasto ad manes imos referuntur hiatu,
In breuia & syrtes illos freta concita torquent.
Infremuit, multaque ardens Schombergius ira,
O proceres reuocate animos, ait, ardua rebus
Claret in aduersis, nullisque exercita fatis
Sordescit virtus. trans æquora quæritis hostes,
Scindite puppe fretum ardentes, pelagique furorem

Frangite, & inuitis hostes inuadite nimbis.
Proxima Retensi breuis obiacet insula terræ,
Infœcunda solo, crebris & inhospita saxis.
Hanc tandem grauis imbre rates eiectat in oram
Africus, & late disiectas æquore pellit.
Irata proceres decedendum esse procellæ
Constituunt, ac vela legunt subducta, nec vltra
Audent insanis animam committere ventis
Octauum iam Solem agitati. Littora saltu
Præcipiti superant, & fessa in corpora quærunt
Effœtas reuocare, nouasque acquirere vires.
Pars Cererem expediunt mensis, sub rupibus illi
Corpora deponunt. mollis sopor obsidet artus.
Florentes equitum turmas peditumque Britannus
Audijt Oceano ferri, clausique subire
Aggeris auxilio, & iam proxima stagna secare.
Ignescunt iræ, & flammato pectore sæuus
In Martem stimulat socios, arcisque ruinam.
Ecquis erit mecum, ô socij, qui vellere vallum
Audeat, & summis victor consistere muris?
Inquit, & anteuolans densos rapit agmine magno.
Non secus ac leo Pœnorum violentus in aruis,
Cui sicca calido tabescunt sanguine fauces,
Circum septa fremit, ruptasque inuadere caulas;
Et vacuo studet armentum conuellere dente,
Perque sudes, vallosque, & acuta hastilia fertur.
Sternitur omne solum telis, flictuque trementes
Dant strepitum galeæ horrendum; pugna aspera surgit.
Pars clypeorum vmbone acta testudine muris

Succedunt, certantque inimicum exſcindere vallum.
Pars implent foſſas, ſcalaſue in mœnia portant.
Illi ſupremæ ſtantes in margine foſſæ
Liuentis plumbi globulos, & fulmina torquent
Ære cauo; longis tentant hi prælia contis.
Terribilique ſtrepunt ſonitu caua tympana circum.
Ardua criſtata Galli complere corona
Mœnia, & in ſummis acies opponere muris.
Martius ære canor ſtridet, pars ſaucia duris
Pectora tranſadigunt telis, pars agmine facto
Tectam aciem ingenti perrumpunt fragmine montis.
Pars in præcipites foſſas ſcalaſque viroſque
Detrudunt, ac præruptis dant funera caſtris.
Ipſe inter primos Thoraſius abiete longa
Fulminat, & iuuenes magnis hortatibus vrget.
Gallorum ante oculos ſocij, Regiſque ſub ora
Certatis, teſteſque dedit fortuna laboris.
Induite ergo animos, magniſque oſtendite factis,
Si quis ineſt virtutis amor. iam in limine portus,
Exitus hic rerum eſt. pudeat ſub lumina Regis
Vos, arcemque iſtam, & fortunam prodere regni.
Ad Regis famam generoſior incidit ardor
Pectoribus, noua vis animos, nouus incitat ignis,
Vrit amor Regis, patriæque, odiumque Britanni,
Expediuntque manus. ipſi quique ægra trahebant
Corpora tabentes, ſtratis languentia membra
Corripiunt, primoque petunt conſiſtere vallo,
Victriceſque animas in puluere linquere crudo.
Hi quia nec ſtare, & contos criſpare, nec enſes

Stringere

Stringere sufficiunt, proiecti corpore toto
Sulphureum in tubulos cinerem, & liuentia plumbi
Pondera conijciunt, oculisque, vt certior ictus
Libretur, manibusque aptant; mox fomite flamma
Apposito grauiter crepat, & fumante sonoram
Proijcit ore pilam caua machina; voluitur illa,
Et perimit, quemcumque alato afflauerit ictu.
Nec fatum clypei, nec ferri tegmina tardant.
Tum verò Anglorum turbari signa, pedemque
Ferre retro, & pugna versis excedere telis.
Intremuit tanto cœlum pelagusque fragore,
Littoraque. excitus metuit Schombergius arci,
Multaque se incusat, quod vento & inanibus auris
Cesserit, & tumidas pelagi non spreuerit iras.
Vt bellator equus, stabulis quem vincla coercent,
Audito clangore tubæ fremit, & pede terram
Pulsat, & insurgens obiecta repagula rumpit,
Effractisque viam tentat præsepibus, ignes
Ore vomens, oculisque; sonant hinnitibus auræ.
Remigium vocat, & breuior qua sit via, remos
Incuruare iubet. date vela, incumbite transtris,
Inuia virtuti non sunt vada, tundite fluctus,
Vel per naufragium scopulosque ruamus in hostem.
Orbem iam medium tenebris nox densa subibat,
Ac leo nocturnos inter clarissimus ignes
Surgebat cœlo, summoque micabat in axe
Gorgonei domitor monstri. spumantia cæcis
Cùm freta deueniunt scopulis; atque æquore toto
Fluctus insanire vagi, molesque superbæ

N

Attolli, & spumis rorare tumentibus astra,
Turbatisque minax visus furere aestus arenis.
Qualis foeda quatit latrantibus inguina monstris,
Trinacrioque rapax despumat Scylla profundo.
Diriguere comae, gelidus tremor occupat artus,
Summaque praesentis terrent discrimina leti.
His saxis breuibusque rates, Schombergius inquit,
Eripite ô socij, celeresque impellite remos.
Talia iactanti cymbas abrupta procella
In puppim ferit, atque ad proxima littora pulsat.
Post refugo scopulis illisa minacibus aestu
In medium reuocat pelagus, camposque liquentes.
Saeuior insurgit, praecepsque superuenit vnda,
Abreptasque rates saxa inter naufraga torquet,
Retensis vasto queis cingitur insula dorso.
Emicat in littus iuuenum globus, arduaque vnca
Saxa manu prensat, scopulisque tenaciter haeret,
Nisuque adrepit magno ad fastigia rupis.
Continuo classis generosae ductor ad astra
Lumina detorquens, summoque in vota vocato
Numine suppliciter fatur: Rex optime Regum,
Qui caelum terrasque tuo moderamine flectis;
Quo duce tanta feri incolumes discrimina ponti
Fugimus, & tandem optatae successimus orae;
Adsis ô, facilisque tuo pro Numine euntes
In bella, & morti caput obiectare paratos
Respice, da fessis animos, dextrasque potentes.
Frange manu mucronem Angli pradonis, & ipsum
Obsessa exutum castris effunde sub arce.

Vix ea fatus erat supplex, & nocte serena
Intonuit læuum, cœloque effulgere imago
Visa crucis, lucemque nitenti fundere sulco,
Et lætas magno lauros promittere signo.
Vt primum rutilo surrexit Lucifer igne,
Induxitque diem terris, sua frugibus almis
Corpora procurat pubes, pugnæque parat se.
Ærea pars humeris gestant tormenta, nigrumque
Immittunt cinerem, & rupturum pectora plumbum.
Pars galea ceruicem onerat, thoracaque durum
Induit, & longis vacuum quatit æthera contis.
Pars insternit equos, ac pressis flectit habenis.
Dux inter primos ardenti murice clarus
Arma parat, suras includit tegmine aheno,
Quod passim hamato consertum fulgurat auro.
Loricam inde humeris aptat, quam squamea circum
Cælatura nitet fuluo intertexta metallo.
Illic ingenti cælauerat argumento
Docta manus, toto quæ gens Schombergia mundo
Gesserat, inscribens virtutem & facta virorum,
Qui celebres armis, & qui pietate fuere,
Purpura quos Romana pedes ornauit ad imos.
Illic Treuericæ Antistes Schombergius vrbis
Germanos inter proceres sedet, atque recenti
Cæsareos Augusto apices transcribere gaudet.
Parte alia Euriacis densa agmina fulgere campis
Adspiceres, turmasque odia exercere vicissim.
Explicat hic acies Henricus, & ardet in ære,
Quem Mompenserius, fortisque Aumontius, & qu...

Ingens pars belli sequitur Biro, lectaque pubes,
Theudericusque unà Schombergius agmina ducens
Germanorum equitum, cristisque horrentia signa.
Obuius auratis contrà Meduanius armis
Fulminat, Aumaliusque ferox, Nemorosaque virtus,
Hastatosque Egmundus agens in prælia Belgas.
Concurrunt acies, telorumque ingruit imber
Ferreus, ancipiti pendet victoria pugna.
Disiecto cedit Meduanius agmine, & ipse
Egmundus cadit, Henrici qui vertere turmas
Sperabat Belgarum hastis, & vincere solus;
Tanta fuit nondum experta fiducia mentis.
Hîc inter densos hostilique agmine septus
Dum Magni tegis Henrici latus, excipis hastam,
Ingentique premis Schombergi rura ruina.
Hinc Moncunturiæ addiderat discrimina pugnæ
Artificis manus, & palantes æquore toto
Collinium, sociosque; premit nam terga Valesius,
Aumaliusque, Biroque, paludatusque Thoræus.
Saucius at medijs Gaspar Schombergius aruis
Germanorum alas equitum, populumque coercet
Magnanimum, & campo victor pernoctat aperto.
Talia perlustrans oculis exempla suorum
Ardet in arma magis, capitique haud degener alta
Terribilem crista galeam, flammisque decoram
Gasparis imponit proles, cingitque corusco
Ense latus, pectusque animis audacibus implet.
Inde caua alipedem dextra plausuque lacessens,
Quem Zephyro ediderat spirante ad littora Bætis,

Conſcendit, ſocioſque iubet procedere campo.
It denſum campis agmen, cæcaſque tenebras
Puluereus nigra induxit caligine turbo.
Quis globus ô ſocij, quæ voluitur æthere nubes?
Illuſtris Crequij ſoboles ait, arma per vmbram,
Lumen & incertum radiantia cernite, quales
Syderei apparent obſcuris noctibus ignes.
Hæc ait, & loricam humeris ingentibus aptat,
Obuiaque aduerſis obiectat pectora ſignis.
Vt verò excuſſis tenebris Gallûm arma retexit
Clara dies, laxant ſe acies, atque agmina iungunt.
Crequiades primas acies, prætoria ducit
Signa, & Taurina lectas legione cohortes.
Colligit inſignis medium Schombergius agmen,
Viuida quem ſequitur generoſo ſanguine pubes,
Magna armis, virtute ingens & nomine auorum.
Mallereus, Pleſiuſque acer poſtrema coercent.
Iam procul Anglorum caſtra, & ſublimior arcis
Obſeſſæ ſurgebat apex, pinnæque minaces;
Ecce ruens ſumma rapitur Thoraſsius arce,
Vectus equo ſpumante, atque ægro pectore anhelus
Deſertis trepidos hoſtes abſcedere caſtris
Nuntiat, & refuga ad naues veſtigia ferre.
Concilium procerum extemplo primoſque tribunos
Dux vocat, & quæ animo ſedeat ſententia, quærit.
Inſtandum pauidis pars ducunt eſſe Britannis,
Intercludendos reditus, pœnamque merentes
Poſcendam, & magno delendum funere nomen.
Pars dandam eſſe viam, ſigniſque fugacibus vltro

Ingens pars belli sequitur Biro, lectaque pubes,
Theudericusque unà Schombergius agmina ducens
Germanorum equitum, cristisque horrentia signa.
Obuius auratis contrà Meduanius armis
Fulminat, Aumaliusque ferox, Nemorosaque virtus,
Hastatosque Egmundus agens in prælia Belgas.
Concurrunt acies, telorumque ingruit imber
Ferreus, ancipiti pendet victoria pugna.
Disiecto cedit Meduanius agmine, & ipse
Egmundus cadit, Henrici qui vertere turmas
Sperabat Belgarum hastis, & vincere solus;
Tanta fuit nondum experta fiducia mentis.
Hîc inter densos hostilique agmine septus
Dum Magni regis Henrici latus, excipis hastam,
Ingentique premis Schombergi rura ruina.
Hinc Moncontuiæ addiderat discrimina pugnæ
Artificis manus, & palantes æquore toto
Collinium, sociosque; premit nam terga Valesius,
Aumaliusque, Biroque, paludatusque Thoræus.
Saucius at mediis Gaspar Schombergius aruis
Germanorum alas equitum, populumque coercet
Magnanimum, & campo victor pernoctat aperto.
Talia perlustrans oculis exempla suorum
Ardet in arma magis, capitique haud degener alta
Terribilem crista galeam, flammisque decoram
Gasparis imponit proles, cingitque corusco
Ense latus, pectusque animis audacibus implet.
Inde caua alipedem dextra plausuque lacessens,
Quem Zephyro ediderat spirante ad littora Bætis,

Conſcendit, ſocioſque iubet procedere campo.
It denſum campis agmen, cæcaſque tenebras
Puluereus nigra induxit caligine turbo.
Quis globus ô ſocij, quæ voluitur æthere nubes?
Illuſtris Crequij ſoboles ait, arma per vmbram,
Lumen & incertum radiantia cernite, quales
Syderei apparent obſcuris noctibus ignes.
Hæc ait, & loricam humeris ingentibus aptat,
Obuiaque aduerſis obiectat pectora ſignis.
Vt verò excuſſis tenebris Gallûm arma retexit
Clara dies, laxant ſe acies, atque agmina iungunt.
Crequiades primas acies, prætoria ducit
Signa, & Taurina lectas legione cohortes.
Colligit inſignis medium Schombergius agmen,
Viuida quem ſequitur generoſo ſanguine pubes,
Magna armis, virtute ingens & nomine auorum.
Mallereus, Pleſiuſque acer poſtrema coercent.
Iam procul Anglorum caſtra, & ſublimior arcis
Obſeſſa ſurgebat apex, pinnæque minaces;
Ecce ruens ſumma rapitur Thoraſſius arce,
Vectus equo ſpumante, atque ægro pectore anhelus
Deſertis trepidos hoſtes abſcedere caſtris
Nuntiat, & refuga ad naues veſtigia ferre.
Concilium procerum extemplo primoſque tribunos
Dux vocat, & quæ animo ſedeat ſententia, quærit.
Inſtandum pauidis pars ducunt eſſe Britannis,
Intercludendos reditus, pœnamque merentes
Poſcendam, & magno delendum funere nomen.
Pars dandam eſſe viam, ſigniſque fugacibus vltro

Ingens pars belli sequitur Biro, lectaque pubes,
Theudericusque unà Schombergius agmina ducens
Germanorum equitum, cristisque horrentia signa.
Obuius auratis contrà Meduanius armis
Fulminat, Aumaliusque ferox, Nemorosaque virtus,
Hastatosque Egmundus agens in prælia Belgas.
Concurrunt acies, telorumque ingruit imber
Ferreus, ancipiti pendet victoria pugna.
Disiecto cedit Meduanius agmine, & ipse
Egmundus cadit, Henrici qui vertere turmas
Sperabat Belgarum hastis, & vincere solus;
Tanta fuit nondum experta fiducia mentis.
Hîc inter densos hostilique agmine septus
Dum Magni tegis Henrici latus, excipis hastam,
Ingentique premis Schombergi rura ruina.
Hinc Moncontúriæ addiderat discrimina pugnæ
Artificis manus, & palantes æquore toto
Collinium, sociosque; premit nam terga Valesius,
Aumaliusque, Biroque, paludatusque Thoræus.
Saucius at medijs Gaspar Schombergius aruis
Germanorum alas equitum, populumque coercet
Magnanimum, & campo victor pernoctat aperto.
Talia perlustrans oculis exempla suorum
Ardet in arma magis, capitique haud degener alta
Terribilem crista galeam, flammisque decoram
Gasparis imponit proles, cingitque corusco
Ense latus, pectusque animis audacibus implet.
Inde caua alipedem dextra plausuque lacessens,
Quem Zephyro ediderat spirante ad littora Bætis,

Conſcendit, ſocioſque iubet procedere campo.
It denſum campis agmen, cæcaſque tenebras
Puluereus nigra induxit caligine turbo.
Quis globus ô ſocij, quæ voluitur æthere nubes?
Illuſtris Crequij ſoboles ait, arma per vmbram,
Lumen & incertum radiantia cernite, quales
Syderei apparent obſcuris noctibus ignes.
Hæc ait, & loricam humeris ingentibus aptat,
Obuiaque aduerſis obiectat pectora ſignis.
Vt verò excuſſis tenebris Gallûm arma retexit
Clara dies, laxant ſe acies, atque agmina iungunt.
Crequiades primas acies, prætoria ducit
Signa, & Taurina lectas legione cohortes.
Colligit inſignis medium Schombergius agmen,
Viuida quem ſequitur generoſo ſanguine pubes,
Magna armis, virtute ingens & nomine auorum.
Mallereus, Pleſiuſque acer poſtrema coercent.
Iam procul Anglorum caſtra, & ſublimior arcis
Obſeſſæ ſurgebat apex, pinnæque minaces;
Ecce ruens ſumma rapitur Thoraſſius arce,
Vectus equo ſpumante, atque ægro pectore anhelus
Deſertis trepidos hoſtes abſcedere caſtris
Nuntiat, & refuga ad naues veſtigia ferre.
Concilium procerum extemplo primoſque tribunos
Dux vocat, & quæ animo ſedeat ſententia, quærit.
Inſtandum pauidis pars ducunt eſſe Britannis,
Intercludendos reditus, pœnamque merentes
Poſcendam, & magno delendum funere nomen.
Pars dandam eſſe viam, ſigniſque fugacibus vltro

Ingens pars belli ſequitur Biro, lectaque pubes,
Theudericuſque unà Schombergius agmina ducens
Germanorum equitum, criſtiſque horrentia ſigna.
Obuius auratis contrà Meduanius armis
Fulminat, Aumaliuſque ferox, Nemoroſaque virtus,
Haſtatoſque Egmundus agens in prælia Belgas.
Concurrunt acies, telorumque ingruit imber
Ferreus, ancipiti pendet victoria pugna.
Diſiecto cedit Meduanius agmine, & ipſe
Egmundus cadit, Henrici qui vertere turmas
Sperabat Belgarum haſtis, & vincere ſolus;
Tanta fuit nondum experta fiducia mentis.
Hic inter denſos hoſtilique agmine ſeptus
Dum Magni tegis Henrici latus, excipis haſtam,
Ingentique premis Schombergi rura ruina.
Hinc Moncontuciæ addiderat diſcrimina pugnæ
Artificis manus, & palantes æquore toto
Collinium, ſocioſque; premit nam terga Valeſius,
Aumaliuſque, Biroque, paludatuſque Thoræus.
Saucius at medijs Gaſpar Schombergius aruis
Germanorum alas equitum, populumque coercet
Magnanimum, & campo victor pernoctat aperto.
Talia perluſtrans oculis exempla ſuorum
Ardet in arma magis, capitique haud degener alta
Terribilem criſta galeam, flammiſque decoram
Gaſparis imponit proles, cingitque coruſco
Enſe latus, pectuſque animis audacibus implet.
Inde caua alipedem dextra plauſuque laceſſens,
Quem Zephyro ediderat ſpirante ad littora Batis,

Conſcendit, ſociosque iubet procedere campo.
It denſum campis agmen, cacaſque tenebras
Puluereus nigra induxit caligine turbo.
Quis globus ô ſocij, quæ voluitur æthere nubes?
Illuſtris Crequij ſoboles ait, arma per vmbram,
Lumen & incertum radiantia cernite, quales
Syderei apparent obſcuris noctibus ignes.
Hæc ait, & loricam humeris ingentibus aptat,
Obuiaque aduerſis obiectat pectora ſignis.
Vt verò excuſsis tenebris Gallûm arma retexit
Clara dies, laxant ſe acies, atque agmina iungunt.
Crequiades primas acies, prætoria ducit
Signa, & Taurina lectas legione cohortes.
Colligit inſignis medium Schombergius agmen,
Viuida quem ſequitur generoſo ſanguine pubes,
Magna armis, virtute ingens & nomine auorum.
Mallereus, Pleſiuſque acer poſtrema coercent.
Iam procul Anglorum caſtra, & ſublimior arcis
Obſeſſa ſurgebat apex, pinnæque minaces;
Ecce ruens ſumma rapitur Thoraſsius arce,
Vectus equo ſpumante, atque ægro pectore anhelus
Deſertis trepidos hoſtes abſcedere caſtris
Nuntiat, & refuga ad naues veſtigia ferre.
Concilium procerum extemplo primoſque tribunos
Dux vocat, & quæ animo ſedeat ſententia, quærit.
Inſtandum pauidis pars ducunt eſſe Britannis,
Intercludendos reditus, pœnamque merentes
Poſcendam, & magno delendum funere nomen.
Pars dandam eſſe viam, ſigniſque fugacibus vltro

Conſcendit, ſocioſque iubet procedere campo.
It denſum campis agmen, cæcaſque tenebras
Puluereus nigra induxit caligine turbo.
Quis globus ô ſocij, quæ voluitur æthere nubes?
Illuſtris Crequij ſoboles ait, arma per vmbram,
Lumen & incertum radiantia cernite, quales
Syderei apparent obſcuris noctibus ignes.
Hæc ait, & loricam humeris ingentibus aptat,
Obuiaque aduerſis obiectat pectora ſignis.
Vt verò excuſſis tenebris Gallûm arma retexit
Clara dies, laxant ſe acies, atque agmina iungunt.
Crequiades primas acies, prætoria ducit
Signa, & Taurina lectas legione cohortes.
Colligit inſignis medium Schombergius agmen,
Viuida quem ſequitur generoſo ſanguine pubes,
Magna armis, virtute ingens & nomine auorum.
Mallereus, Pleſiuſque acer poſtrema coercent.
Iam procul Anglorum caſtra, & ſublimior arcis
Obſeſſæ ſurgebat apex, pinnæque minaces;
Ecce ruens ſumma rapitur Thoraſſius arce,
Vectus equo ſpumante, atque ægro pectore anhelus
Deſertis trepidos hoſtes abſcedere caſtris
Nuntiat, & refuga ad naues veſtigia ferre.
Concilium procerum extemplo primoſque tribunos
Dux vocat, & quæ animo ſedeat ſententia, quærit.
Inſtandum pauidis pars ducunt eſſe Britannis,
Intercludendos reditus, pœnamque merentes
Poſcendam, & magno delendum funere nomen.
Pars dandam eſſe viam, ſigniſque fugacibus vltro

Parcendum referunt. clausis audacia crescit,
Cúmque omnis placitæ spes est absumpta salutis,
Vertitur in rabiem formido, atque induit arma,
Cuique mori certum est, properat per vulnera mortem.
Sic atauos clausis inter vineta Britannis
Pictonica, indigna quondam periisse ruina.
Partaque iam in manibus cùm sit victoria nostris,
Nil vltra temere audendum obsidione soluta.
Ergo impune ferent Angli, Schombergius infit,
Tamque diu Gallos vallo clausisse, & inultos
Insultasse frement? quæ nos discrimina porro,
Quæ freta, quæ campis acies, quæ castra morantur?
Fracti omnes cecidere animis, nudataque terga
Dant pauidi cædenda, vocant fata vltima victos.
Audacis sceleris pœnas, regnique petiti
Supplicia expendant. scelus est ignoscere sonti.
Acceleremus, & in medios rapida arma feramus.
Dixit, & anteuolans aciem imperiosus oberrat,
Maturate viri, date fræna, & stringite ferrum,
Non exosa manus fugiet victoria vestras.
Incaluit pubes animis, Mars oßibus ignem
Implicat, & laudis stimulat pœnæque cupido.
Iam cœli medium sol igneus hauserat orbem,
Hesperiasque cadens caput inclinabat ad vndas;
Cum procul è tumulo Galli legere agmina littus
Prospiciunt, studioque gradus celerare trementes,
Iamque fretum infusum terris euadere ponte.
Instant ardentes, ac ne peritura cruentis
Corpora subducant gladiis maria alta, verentur.

Retenses angustus agros interluit alueus,
In partesque secat geminas, seu saua furentis
Oceani rabies fluctus immiserit aruis,
Seu freta finitimis manus effusura salinis.
Strauerat hàc pontem, ripaque infixerat hostis
Vlteriore sudes; hàc primum fugerat agmen
Subbisio comite, hàc acies tota ire parabat.
Arma citos ferre arma iubet dux Gallus, & hostes
Palantes agere. ecce nouus quas Bussius alas
Ducebat, furor accendit, Martemque feroces
Primum obeunt. dant se comites Harcurius ingens,
Sanguine conspicuus Lothareno, & nobilis armis
Radesius, mediaque regit qui Tethye classes
Ionius, atque alÿ genere & virtutibus altis.
Aduersos Anglorum equites, horrentia ferro
Agmina pulsa premunt, atque inclinata phalangem
Jn mediam impellunt. Cedentibus ipse cateruis
Dux ala capitur, spolium haud ignobile belli.
Aduolat & Martis studio Marilacius acer,
Densumque agmen agit, magna virtute tribuni
Gallorum olim equitum sublimi augendus honore.
Irruit, & cunctas Schombergius explicat ingens
Jn bellum crudele acies, turbataque signa
Dißipat, & totis late dat funera campis.
Qualis vbi aggeribus ruptis effunditur alueo
Nilus, & assurgens populat septem amnibus arua.
Te quoque, Thoraßi magne, expauère Britanni
Incursantem acies campis; & Marte cruento
Pensantem exhaustos dura obsidione labores.

Gætulis velut in campis, Mauroque sub axe:
Cùm furit, & densa venantum vrgente corona
Saucius in ferrum assurgit, perque ardua fertur
Tela leo, mediasque acies, dum vulneris vnco
Authorem vnguè secet, sæuasque exerceat iras.
Jllinc Galla phalanx, peditumque exercitus omnis
Jn medios fert arma globos; hinc nobilis ordo
Tercentum iuuenum præfixa hastilia crispat,
Inque latus ruit, & duro certamine turbam
Miscet agens telis, nutantiaque agmina pellit.
Jnsanis veluti pulsum cùm flatibus æquor
Intumuit, vastæ tolluntur gurgite moles,
Jncumbensque fragore niger caua littora fluctus
Verberat horrendo, fluctumque superuenit alter.
Sic densæ Gallorum acies clamore Britannos
Immani circumsistunt, vrgentque, premuntque
Continuo, & cultis late mors errat in aruis.
Ductores primi Anglorum, delectaque pubes,
Hesperijs qui non potuere occumbere telis,
Dum Batauûm auxilio subeũt, classemve superbam
Gadibus immittunt, transfixi cominus hastis
Effundunt animas, perq́ horrida vulnera mittunt.
Arua cadens Cuningenius premit, ardua glande
Perfossus latera, effræni non Bæticus ore
Texit equus, non lorica mora, viscera plumbum
Rimatur, multoque animam cum sanguine fundit.
Fraxinus in Bretij descendit lumina, & alto
Infoditur cerebro penitus, crudoque superbum
Vulnere transadigit caput, atque in terga supinat.

Vinclius

Vinclius immani ceruicem abſcinditur enſe;
Nec Forano belli ſub nomine profuit amplas
Iam toties pelago prædas vectaſſe, trabali
Confoſſus telo metitur corpore campum.
Te quoque viderunt Retenſia littora Richi
Oppetere, & iuuenilem animam demittere morti.
Ac velut ille cauo quem primùm depulit antro
Fulua parens, & Marte ſuo ſibi quærere prædam
Compulit, vngue nouo capream leo frangere gaudet,
Aut cerui teneros tentare in corpore dentes,
Imbuere & calidi largo os rude ſanguinis hauſtu:
At iaculo incautum paſtor transfigit acuto.
Sic ruit armorum rudis, atque in prælia fidens
Voce vocat Gallos, graſſatuſque agmina prima
Richius, immani præcordia rumpitur haſta.
It cruor egregios ſciſſo thorace per artus,
Et ceruix collapſa cadit, ceu lilia triſtis
Languor habet, pluuio vel cùm nimis imbre lauantur.
Sæuit amor ferri, Galluſque igneſcit in iram,
Spargit humum telis, omnique in corpore figit.
Arma virûm, galeæque, & multo horrentia tabo
Corpora ſtrata iacent, magni & ſine nomine trunci,
Oris & in media ſeruantes morte decorem.
Seminecès alij campo voluuntur, equorum
Calcibus attriti, iugulumque in funera tendunt.
Cætera turba retro cedit, nulloque pudore
Exarmata petit longo ſtrata æquora ponte.
Dumque obnixa acies ſeſe premit, arctaque pontis
Limina peruadit, laxa compage ſolutus

Exponit medijs trepidos pons fluctibus Anglos.
Turba ruit superincumbens, cumuloque sequentum
Pressa vadum tentat, pelago sed mergitur imo.
Assequitur Gallus victor, clausoque supremum
Vesper agat licet orbe diem, per funera pontum
Traijcit, & vallum connixus diruit Anglum
Multa dolens, quod sparsa vetent astra addere pœnas.
Nocturnæ quis fata fugæ, casumque Britannum
Explicet, & varios obscura in nocte labores?
Deuia pars per rura viam, camposque palustres
Quærit, & ignarus medijs absumitur vndis.
Pars hostes vrgere putat, cursuque citato
Dum fugit, exhausto mox sanguine tingit arenas
Oppressus. pars transtra citus dum scandere tendit,
Præcipitatque moras omnes, pede lapsus in æquor
Excutitur, monstris genialis præda marinis.
Horror vbique ingens, auget nox atra timores.
Lucifer vt primum nocturnas expulit vmbras,
Fœda virûm strages, bis mille rigentia campis
Corpora, spumantesque lacus atque arua cruore,
Et fractæ apparent hastæ, galeæque, tubæque;
Quadragena manu vexilla erepta potenti,
Muralesque ex ære tubi, spiramina ditis,
Quatuor, insignis spolium memorabile pugnæ.
At fuga quos leto eripuit, vastæque paludes,
Vmbraque præcipitans cœlo, dare vela per æquor
Cernere erat, Gallumque solum; monumentaque cladi
Infandæ fugere in patriæ indelebile probrum.
Littora non iam Galla sibi, non oppida poscunt,

Quos omnes terrent auræ, ſonus æquoris omnis.
Ipſe inter primos trepidat Dux Anglus, & oris
Purpurei egregium lumen pauor abſtulit ingens.
Quo demens fugis, & Gallo te ſubtrahis enſi?
Mors volat, aſſequiturque etiam immatura fugacem.
Deteriore manent te fata ſub hoſte, Britanno,
Quod minime reris, vita ſpoliabere ferro,
Dum tuus in Gallos iterum furor induet arma.
At victor campo ingreditur Schombergius, ære
Inſignis, magno qualis leo pectore fertur,
Poſtquam fudit humi præſtanti corpore taurum,
Cornibus incurſantem altis, igneſque vomentem,
Miratur molem immanem, gaudetque tuendo.
Sic graditur belli victor, totoque ſuperbus
Exuuias campo legit, & rem carmine ſignat,
Hìc ſpolia ex cæcis LODOICVS *rettulit Anglis.*
Arci mox optatus adeſt; ceu turbida quando
Sæuit hyems, atraque tument maria alta procella,
Fors antennarum molli ſi cornua flamma
Inſidat tactu, malumque innoxia lambat,
Se duro ereptum lætatur nauita fato.
Gaudia ſic animis agitat, ſic pectore toto
Læta fremit pubes iam libera. At ille iuuentæ
Inceditque animos, generoſaque pectora laude.
Magnanimi iuuenes, & Gallæ robora gentis,
O diræ rabiem famis, extremoſque labores
Bellorum experti, meritæ quis præmia palmæ
Soluere digna queat? veſtram quis laudibus æquet
Virtutem, ingenteſque animos & fortia facta?

Subbisium Medulo pepulistis littore; vestra
Quaesistis virtute solum hoc; venientibus Anglis
Illustres animas, atque obuia corda tulistis,
Bis geminosque breui conclusi caespite menses
Sustinuistis eorum acies: iamque agmina nostris
Jungentes meritas sumpsistis sanguine poenas.
Insula dum haec pelago stabit, dum Galla vigebunt
Lilia, vester honos, nomenque, decusque manebit.
Haec ait, & spoliis ditat, largasque reponit
Arce dapes, murique minas instaurat, & Angla
Perrumpens castra effundit, vallosque reuellit.

PAVLI THOMÆ ENGOLISMENSIS,

RVPELLAIDOS LIBER SEXTVS.

REX pius at media quamuis gauiſus in ira,
Conficitur curis, & magno fluctuat æſtu.
Rupellæ ſcelus, & toties tractata recurſant
Arma animo, excituſque malis à ciuibus hoſtis.
Qualis vbi ſpirante ſcelus deprendit odore
Coniugis, & pardi furtiuum ſenſit amorem,
Jgneſcit leo, truxque oculis torta ilia cauda
Pulſat, & in pœnas vindex conſurgit acerbus.
Concilium procerum, & Gallæ faſtigia gentis
Cogit, & in mediis ſedet, ac ſacra ora reſoluit.
Seditio cùm primùm oritur, ſubitoque furore
Incaluit populus, variæ miſereſcere turbæ

Est opus, & venia surgentem extinguere flammam.
Multorum nec enim tenuis bene plectitur error.
Sæuior at cùm pestis agit, coëuntque rebelles
Externum in fœdus, spargit furor arma per agros.
Culpa caret venia, & pœna scelus omne piandum est.
Rupellæ quo sit progressa licentia scitis,
Quis furor insedit populis, quis mentibus ardor.
Consulite in medium, quales temeraria pœnas
Gens luat, indocilisque iugo mansuescere discat.
Mota sub hæc procerum manus, ardentisque recludunt
Ingentes animi motus. pars vndique rentur
Tentandos scalis muros: pars ferrea portis
Tormenta affigenda putant, quæ puluere fœta
Nitrato, iniecta perrumpant claustra fauilla
Terrifico sonitu, atque vrbis penetralia nudent.
Mœnia pars vertenda solo, fossasque ruina
Complendas, aditumque vrbis per saxa petendum.
Richelius tandem, ostrinus cui vertice sacro
Ardet apex, & Consiliis qui maximus author,
Surgit, & his Regem alloquitur. stant auribus omnes
Arrectis, pendent omnes dicentis ab ore.
Tot procerum generosa manus, Rex optime Regum,
Consiliis animum ingentem manifestat, & intus
Se magno carpi famæ melioris amore.
Ardua res sed enim Rupellæ irrumpere muros,
Aut æquare solo, populis tot floret & armis,
Sicque patent fossæ, tot propugnacula surgunt,
Vt Gallæ strages mage sit metuenda iuuentæ.
Grande opus audendum cunctis memorabile sæclis,

Frænandus vallo Oceanus, Rupellaque circum
Aggeribus ductis terra est cingenda marique,
Sic cadet auxilij atque dapum spes hostibus omnis,
Nulla fuga dabitur clausis via, & aggere tutus
Vitabit noster quæcunque pericula miles.
Cura etiam grauior Rupellam, & maior habebit
Terror, dum mœsto clausum se sentiet hostis
Carcere, dum Regis metuet sibi conscius iras.
Sic animos culpam fassus, mentisque tumorem
Exuet, aut diuturna iugo supponet egestas.
Assensere omnes, magnæque ingentia mentis
Mirati responsa probant; placet vndique fossas
Præfodere, atque vrbem procul expugnare sedendo.
Continuo pubes excitur rustica castris
Docta graui fragiles glebas versare ligone.
Sicut apes cum mane caua de rupe ruentes
Effunduntur agris, floresque atque arbuta pasta,
Assidue reuolant operanda ad mella recentes.
Sic castris effusa ruunt, campisque vagantur
Agmina, & ingentes ducunt toto æquore fossas,
Rupellamque procul magnum amplectuntur in orbem.
Feruet opus, viuoque assurgit cæspite vallum.
Bassompetra animi egregius, duxque inclytus oræ
Engolimæ, & gentis domitor Schombergius Anglæ,
Ingentes virtute viri, tria fulmina belli,
Partiti inter se curas operumque labores
Inuigilant, longosque agitant in puluere sulcos.
Sicut vbi accensis in nubibus aurea solis
Effulget facies, tresque apparere videntur,

Incertumque diu proprio quis lumine præstet.
Tres Eurum Boreamque inter Schombergius arces
Instituit, totidem Engolimus quà respicit Austros
Æquor, & angusto Rupellæ illabitur alueo;
Tertius ad Zephyros Boreæque ad frigora, ripa
Qua iacet arx Regis de nomine condita, triplex
Præsidium magna Bassompetra erigit arte,
Longumque explet opus. facies his quadrua surgit
Molibus, & circùm lunatus funditur agger.
Sic tandem assiduo loricula ducta labore
Conditur, & campis Rupellam ac finibus arcet.
Sola sinus vada restabant superanda, nouusque
Mutatis vicibus naturæ limes agendus
Per freta, ducendusque iniectis molibus agger.
Oceanus tumidis Aquitanas radit arenas
Fluctibus, occidua quà sol se mergit in vnda.
Limite ab extremo Pyrenes ostia pulchri
Attingit Ligeris, sæuaque reciprocus ira
Obijcibus ruptis in agros excurrit, & alto
Efficit ore sinum, fœdo quà turbine fertur
Africus, & crebris inuoluit sydera nimbis.
Extremo Rupella sinu iacet, ardua muris,
Portuque immoto celebris, maris vnde per omnes
Itque reditque vias, & toto nauigat orbe,
Littora dum caua fluctus habet. Namque ordine certo
Æstuat Oceanus, quinisque infunditur horis,
Impleturque sinus, ratibusque insternitur altis.
Post refugos septem fluctus mare contrahit horis,
Destituitque sinum, & steriles nudantur arenæ.

Sic

Sic vicibus manet ambiguum pelagique ſoliquę
Littus, & aßiduos alternant æquora motus.
Pandite Caſtalios fontes Heliconaque totum
Aonides, carmenque nouum inſpirate precanti.
Sit mihi fas pelagus luſtrarę, & numine veſtro
Rem nulli vatum tentatam audere priorum,
Gurgitibuſque imis merſas euoluere cauſas.
Quid dubia inſano feriantur littora fluctu,
Quidve ferat referatve fretum, moueatque meatus.
Quà rotat æthereos violentior impetus orbes
Ingenti gyro, cœlum vaſtiſsimus ambit
Circulus, inque duas partes diſcriminat orbem.
Cœlorum hic motus omnis menſura, diemque
Inducens noctemque polo, dum ſydera vertit
Continuò. patuliſque illum cùm naribus afflant
Solis equi, autumnum nobis vel tempora veris
Nuntiat, & nocti æquatas procedere luces.
Nec cœlo tantùm virtutem ſpargit, amico
Influit in terras flexu, campoſque liquentes.
Perpetuis namque Oceanus qui motibus vndas
Irrequietus agit, tanto ſua ſtagna ſub orbe
Colligit, effuſumque ſalum bis luce reſorbet.
Diuerſos illinc agitat per cærula fluctus,
Pars Boream petit, & ſetis horrentia ſigna,
Altera in aduerſum ruit, & declinat ad Auſtros.
Cumque fretum quinis terras acceſſerit horis,
Auſtroque, & gelida fluctus reuocantur ab Arcto,
Inque horas refluunt ſeptem, totoque recedunt
In medios ex orbe ſpecus, pontumque profundum.

Spumea se quanto curuant tunc æquora dorso?
Quis tumor Oceani? quanti se in nubila montes
Attollunt, quanta moles cumulantur aquarum?
Non ita Pyrene erigitur, non Cemmenus ingens,
Ardua nec tantis petit æthera rupibus Alpis.
In nubes postquam intumuit præruptus aquæ mons,
Rumpitur, & latices vtrumque refundit ad axem.
Quoque magis medio in mundo mare detumet vndis,
Latiùs excurrit, grauiori ac littora fluctu
Percutit; arentes æstu miscentur arenæ,
Inque suos retro fugiunt vaga flumina fontes,
Ac plenis spumant ripis, pelago arua premuntur,
Æquora dum refluant, reuocetque reciproca Tethys.
Suggestis veluti flammis cùm feruet ahenum,
Vnda tumet, spumisque latex exuberat alte,
Ac toto vapor ære furit. cùm flamma residit,
Vndique deficiunt æstus, & detumet vnda.
Aut veluti quoties torrentur febribus artus,
Horrorque & certis remeat calor interuallis:
Sic furit, alternatque vices, refluitque, fluitque
Pontus, & æternos agit altis fluctibus æstus.
Aut quia principio cùm cœlum, vndasque, solumque
Condidit omnipotens genitor, certasque recenti
Naturæ imposuit leges, sic feruere iussit
Oceanum, alternoque dedit spumescere motu.
Ex illoque fluit pelagus, velut actus habena
Turbo volat, celeremque agitur curuatus in orbem.
Dant animos primi motus, durantque labores,
Aut quia quæ nutu proprio natura quiescit,

Alterius deposcit ope & virtute moueri,
Ne torpore graui penitus vitiata fatiscat.
Mens igitur moles tantas diuina volutat,
Ac toties torquet spumas, totiesque retorquet,
Datque vagum aßiduo pelagus discurrere motu.
Quales diuersos cœli astrorumque meatus
Sublimes agitant mentes, dextraque potenti
Totum axem sinuant, & moto cardine vertunt.
Inde rei haud dubium tantæ datur argumentum,
Quod fluctus aurasque pari mens illa salubres
Impellat motu; ossa licet nam pallida morbi
Corripiant, at vita manet, dum concita feruent
Æquora, & ad manes cum fluctu vita recedit.
Luna quidem imperio sublimi humentia versat
Corpora, & intendit fluctus, viresque ministrat.
Cùm latet, & nascens premit intermenstrua lumen,
Plenave se fundit cœlo, & sua cornua complet,
Tum vastæ apparent moles, maiore reclamant
Littora pulsa freto, grauior furit æstus arenis.
At cùm decrescens vergit, vel cornua curuat,
Mitior exundat, tenuisque adlabitur æstus.
Oceanus Luna comes inclinante senescit,
Augescente tumet. tantane in sydere vires!
Vsqueadeo rapidos æstus, irasque furentes
Frangere Richelij monitis incensus, & ipsas
Aggere transuerso aggreditur Rex claudere fauces,
Qua breuiore fretum spatio amplectuntur, & æquo
Rupellam Oceanumque inter discrimine surgunt.
Instant ardentes Galli. pars figere vallos,

Densasque inspicare trabes; pars grandia saxa
Subuectare humeris, & robora voluere summo
Infabricata salo, vastasque immittere moles.
Pars quassas victasque situ demergere puppes.
Assurgunt cæmenta mari, latusque profundis
Agger aquis molli sensim fastigia cliuo
Tollit in angustum, & venientis temperat iras
Æquoris, humentem toto quod gurgite limum,
Collectasque vehens sordes, depacta profundo
Saxa ligat, solidatque velut ferrumine molem.
Vt medium in pelagus ripa porrexit vtraque
Brachia, & aduersis occurrit frontibus agger,
Deficit, angustum pandens quo permeet æquor
Interruptus iter. neu sit via peruia classi,
Depacta omne trabes spatium triplici ordine cingunt,
Aëria, ingentes, intertextaque vicissim,
Carbasa quæ longis abigant procul aggere rostris.
Nulla quies operum datur, intractabile quamuis
Turbetur pelagus, brumalique horrida pontum
Frigore claudat hyems, luctenturque æquore venti.
Ipse operum admonitor sedet arduus aggere summo
Richelius, magnisque animos hortatibus implet.
Qualis vbi cœlo perfusus gurgitis vnda
Extulit os, somnosque abrumpit Lucifer orbi,
Atque homines ad opus reuocat, solitosque labores;
Corripiunt campum agricolæ, rura aspera vertunt.
Aut velut Oceano in medio cùm fœda magister
Agnoscit longè ventura signa procellæ,
Iamque polum contraxit hyems, iam sibilat Auster.

Ipse gubernaclo subiens naualia dextra
Colligere arma iubet, tortos aptare rudentes,
Obliquare sinus, & detorquere gementem
Antennam, aut rigido subducere lintea malo.
Tota foros complet pubes, instatque labori.
Littora sic populi obsidunt, terraque saloque
Congerit in vallum scopulos exercitus omnis.
Extemplo magnorum operum fidissima fama
Nuntia, sublimi tollens se in nubila penna
Ære cauo infremuit, totumque ablata per orbem
Immensæ vulgabat opus mirabile molis,
Frænari maria, & sterni vada cærula saxis.
Non tantum Alcidæ facinus, cùm nobile cornu
Inuasit, dextraque Acheloi à fronte reuulsit.
Persarum non Regis opus, qui Seston Abydo
Iunxerit, & ratibus Phryxæum instrauerit æquor.
Exiguam quoque Pellæi famam esse laboris,
Insula quod pridem fuerit Tyros addita terræ.
Scipiadæ sic dispar opus, licet aggere ducto
Immani Libyci præcluserit ostia portus.
Oceani Gallum domitorem ponere leges
Naturæ, refluique minas compescere ponti.
Protinus ad Belgas volat, & sermonibus acres
Accendit populos. ibi tunc asperrimus armis
Spinola, murorum euersor, Batauique procella
Nominis, Hesperias acies ductabat, & omnis
Sub tanto duce nobilitas Hispana merebat.
Accensi rumore nouo, pedibusque marique
Occurrunt, molis spatium & mirabile textum

Aspectant, oculosque ferunt per singula, & hærent.
Ac patriæ quamuis innata superbia gentis
Sollicitet, Gallum mirantur, & aggeris alti
Magnum opus Hesperium nomen supra ire fatentur.
Littus & ipse nouum Oceanus, porrectaque longe
Brachia miratus, præclusumque obiice pontum
Ingemuit, suaque assuetis exhausta procellis
Numina, & insanos queritur desidere fluctus,
Terribilisque æstus omnes & colligit iras.
Auxilio fluuios vocat, Æoliosque furores,
Nubilaque, & piceo fumantes turbine nimbos.
Saxea connixus iam rumpere vincla parabat,
Obuia cùm veniens summo mens æthere motus
Temperat, & tumidum mollit sermonibus istis:
Quis furor immanes toto sic voluere fluctus
Gurgite, & angustas vndantem inuadere fauces?
Non tibi sunt spatia ampla satis? non sufficit orbis,
Et spumis canere vagis, quacunque recurrens
Funditur, & rutilos spargit sol aureus ignes?
Regis in obsequium Galli tua flumina siste
Actutùm, cælo Numen sic iussit ab alto.
Cesserit ille tuo postquam de littore, & arces
Rupellæ eruerit, muro, licet, incute fluctus,
Murum effunde salo, flauentique obrue arena.
Paruit Oceanus monitis, vltroque refugit.
Inuicta Regis vires, cui Numen amicum!
Sæuior vna mari Regem auersatur, & arctis
In rebus grauiore tumet Rupella furore.
Arma amens fremit, & portis effusa iuuentus

Ad bellum graditur, prætentas mœnibus altis
Rescissura sudes, & non superabile vallum.
At quoniam ingratus cecidit labor, actaque campis
Agmina terga fugæ nudant; nec surgere molem
Vlla pilis prohibet iactatis machina; fraudes
Longe alias animo Rupella, & crimina versat,
Annalesque suos repetens nupsisse Britanno
Iactat Helenoram, seque accessisse marito
Dotalem; primum se olim nomenque decusque,
Connubio ex illo titulosque habuisse; malisque
Cùm tantis hodie vallo intersepta prematur,
Supremam veteres dominos fas esse salutem
Poscere, & afflictis solatia quærere rebus.
Tantane ciuili exoritur discordia bello,
Externo, potius quam cedat, vt hæreat hosti?
Vrbe sedet sed enim rabies, qua tristius vllum
Non sæuit terris monstrum, nec dite profundo.
Ænea frons olli, spumescunt liuida nimbo
Ora putri, ærati frendent immane molares,
Ferrea lux oculis, pendent in colla Cerastæ.
Vulnera non tergo non vim pauet, aspera nullo
Læditur ense lues. telum quod forte repertum
Ipsa sibi facit, atque vltro discrimina quærit:
Nec curat librare metus, sitiensque cruoris
Ægrescit lætis, & tristibus impia gaudet.
Huic odia, inuidiæque truces, & crimina cordi,
Vltioque, & scissa infœlix discordia veste.
Nullaque fas pestis pariter miscere nefasque
Aptior, & subitis lymphare furoribus vrbes.

Hæc primum orsa virum aggreditur, qui sacra Tonantis
Responsa interpres falsus, diuinaque iura
Pandebat populis, & agi de numine suasit,
Coniecitque facem, & penitus sub pectore fixit.
Ille fremit, populosque ciet, cunctisque vocatis
Monstri plenus ait. Scitis, quia Numinis hostes
Iam toties celebrem hanc patriam perrumpere adorti,
Indecores turpi retro cessere pudore.
Sic vestris, nec enim diuina potentia vires
Exhausit senio, veniet sors prospera votis.
Aut hostes franget belli mora, vel grauis annus,
Aut pelago auxilium dabitur, terrisque Britannis.
Destituetis aqua pontum prius, altave summo
Ante polo Cynosura cades, quàm magna Britannûm
Non habeant promissa fidem, auxiliumque negetur.
Quod si fata vocant, statuitque exscindere gentem
Rex superûm, num victoris ludibria Galli,
Ac tumidum imperium & fastus patiemur amaros?
Anne pios Latiis cultus, an sacra profanis
Cogemur mutare, nurusque à milite nostras
Infando cernemus agi? num finibus omnes
Pellemur patriis, primique ante ora suorum
Aut ferro, aut fœda morientur in arbore ciues?
Pro sacris atenim melius patriaque tuenda
Quæque pati, insignesque animas immittere cælo.
Mors functis secura quies, ea meta laborum,
Illam seruitio læti anteferamus iniquo.
Talibus arrectæ mentes; iam sæua medullas
Accendit rabies, & mollia pectora sexus

Deterioris

Deterioris agit. Rohani Subisique fugacis
Mœsta parens matres acuit, trepidasque futuro
Erigit auxilio, nec enim passura fuisset
Obsidione premi, fidei nisi certa suorum.
Miscentur clamore viæ, profugoque pudore
Concilia irrumpunt matres, & ab vbere prolem
Pendentem ostentant. vlulatibus atria latè
Fœmineis trepidant, increbrescitque tumultus.
Ac veluti quæ sacra colunt trieterica Baccho
Thyades, incensæ furiis rapiuntur, & vltro
Arma, facesque viris, animosque irasque ministrant.
Induit idem animus, partis quos cura Britannæ
Tangit, & externi auxilij spes erigit ingens.
A Gallo nec enim referunt rata fœdera posse
Hoste peti, cui nulla fides, cui semper acerbo
Relligio est odio, toties Rupella petita
Excidiis, tristique diu damnata ruina.
Inque dies Angla simulant de gente tabellas
Accipere, ostentantque auidis, quas nuntius adfert
Suppositus pede præcipiti, inclamantque per vrbem
Auxilia externa promitti ingentia cera.
Sic populum in partes rapiunt, miscentque tumultu
Omnia, & insanis furiant horroribus vrbem.
Postquam omnis ruit in furias, penitusque venenum
Infœlix animis hausit Rupella, fugantur
Vrbe senes tota, tenue & sine nomine vulgus,
Consilio immiti, iam proxima cogit egestas.
Plebs vacuis errat campis vallum inter & vrbem
Exul, inops animi, durum execrata furorem

Rupellæ, vltricesque implorans Numinis iras.
Defectis explere famem penuria edendi
Graminibus, pecudumque adigit decerpere pastus.
Singultantem animam sic demum proijcit aruis
Infleta, obscœnis miseranda volucribus esca.
Londinum interea Rupellâ orator ab vrbe
Venerat; excubias vigilum, vallumque superbum
Transierat noctu adrepens, Gallumque per orbem
Longum iter emensus Tamesim penetrauerat amnem.
Nec dum ignominiam cladis, sæuumque dolorem,
Retensisque fugæ graue dedecus Anglia mente
Exuerat, bellum irato crudele coquebat
Pectore, & in pœnas tempus secum ipsa modumque
Versabat, curasque animum torquebat in omnes,
Deletura manu opprobrium & maioribus ausis.
Ipse recensebat numerum viresque suorum
Rex Anglus, dictisque animos acuebat amaris,
Turpis probra fugæ obiiciens, cladisque pudorem
Præteritæ, & stimulos intermiscebat honoris.
Cum ruit, & genibus supplex prouoluitur Anglis
Orator, Regem implorans, ac talia fatur:
A te nostra salus vno, Rex maxime, pendet,
Rupellam supremus habet labor. aspera tristes
Ire iterum in lacrymas adigit fortuna, tuamque
Poscere opem votis, iterum tentare laborum
Auxilium, coramque extremos ducere fletus.
Jampridem Rupella tuis se legibus vltro
Submisit, fideique suæ immoritura precatur,
Quæ tua pollicita est maiestas fœdere magno

Auxilia, & scriptis toties firmauit amicis.
Classem equidem nostris appellere portubus Anglam
Vidimus. heu quantis onerauimus æthera votis!
Ardebant noctu summis è turribus ignes,
Signa die extulimus certamen in omne parati.
Octauus radios vbi sparsit Lucifer orbi,
Spirabant faciles auræ, accedensque tumebat
Æquor, & ad certam inuitabant omnia palmam.
Auertit puppes classis, clauumque reflectens
Verrit aquas, & spe magna frustratur hiantes.
Ex illo quantis tua plebs iactata periclis?
Tormentis cœlum omne tonat, crudelibus æstas
Ignescit morbis, grauior depascitur intus
Ossa fames, varioque venit de funere funus.
Defecere Ceres & Lib●, aromata vitam
Sustentant, pellesque vnda feruente subacta.
Heu decies iam mille animæ periere, nec vllus
Vrbe carens tumulis superest locus, omnia fundo
Eruimus, letoque fidem seruamus in ipso,
Te propter pacem, & fœdus Gallum omne perosi.
Ergo dabit fidei pœnas Rex summe, tuasque,
Ergo manus miseranda inter Rupella peribit;
Nullaque pro tantis accedet gratia factis.
Quis classi, seseque tuis feret obuius armis?
Debile remigium Gallis, prætentaque sepes
Littoribus facilis superari. forte Britannos
Terror habet. primi ferrum tractare parati
Imus in aduersos, & iter monstrabimus Anglis.
Omne mora in longa discrimen vertitur, omnis

Longa mora est, quibus atra fames latet abdita venis.
Excidium dabit vna dies, dabit ipsa salutem,
Si properas, nostros dum pulsat anhelitus artus.
Has te per lacrymas, tua te per sceptra, fidemque
Promissam oramus, ne dedignere precantes.
Defensor fidei succurre fidelibus, vrbi
Obsessæ fer opem, præsentique eripe fato.
His super accensus toto Rex pectore flammam
Concipit, & prona in Martem se suscitat ira.
Ac stagno frænata velut cum ingente solutis
Vnda ruit septis, se tota impellit, & omni
Præcipitata lacu rapitur, fragor ostia pulsat.
Sic fremit in bellum præceps, totoque Britannus
Limite cogit opes. præceptæ infamia cladis
Vrget, & afflictæ fortuna miserrima gentis,
Ac toties promissa fides, iurataque sceptra.
Est pectus furor interius, mens prælia poscit
Iamdudum, classesque parat; trans æquora pinus
Biscentum, lectosque viros, lecta agmina mittit.
Fertur pinus aquis, Borea volat acta carina.
Vix in conspectu classis fuit, ilicet armis
Cingitur, & magnis Rex Gallum ad clara periclis
Grassari gaudet, cui maioremque videri,
Maioremque dedit Deus in certamina ferri.
Ardet apex capiti, scintillat corpore toto
Aureus, insignemque ostro, maculisque decorum
Flectit equum, subita & mentem in discrimina versat.
Tu frater mea cura, Valesiadeque propinquum
In Martem summos iuuenum diffundite campis.

Schombergi cum Bassompetra edice maniplis
Armari, littusque ambo prætexite vtrumque.
Vos classem petite, & summis concurrite rostris.
Improuisus opus molis ne effunderet hostis,
Armoricis classem Rex pridem eduxerat oris,
Præsidio ingenti citraque vltraque futuram.
Alta Valencæus Melitæ decus ostia portus
Defendit, classemque ferox molitur in hostes.
Mole sedent alij summa, magnasque periclis
Intrepidi obiectant animas, & ad aggeris ora
Immani librata tonant tormenta fragore.
Terdeni ad dextrum littus, totidemque sinistrum
Terribiles ex ære tubi vasta ora relaxant.
Excitat exigua vectus per cærula cymba
Richelius, magnisque acuit sermonibus iras.
Concurrunt inter se acies, cœlum omne tumultu
Intonat, & densos æther considit in ignes.
Horruit Oceanus, ripæ intremuere fragore.
Non sic vere nouo crepitans grando insilit aruis;
Non æstate Ceres media tot flauet aristis;
Non frondes prima excutiunt tot frigora syluis:
Quot moles tormenta rotant, quot pondera vibrat
Machina, tempestas incumbit ferrea ponto.
Mens Galli præses regni lapsa æthere summo
Ecce ruit, mediisque ardens se immiscuit armis,
Flammea cui facies, scintillant lumina flamma,
Flammeus in dextra gladius micat. Illa potenti
Ingentem clypei læua insertauerat orbem,
Sol cadit Hesperias qualis cùm fessus in vndas.

Fortunam hoc Anglis tollebat iactibus, illo
Gallorum classem inuoluens faucesque tegebat,
Donec aquas refluens pelagus suppreßit in antris.
Qualis vbi expertum contra mouet arma magistrum
Tyro rudis, strictoque insurgens aßilit ense.
Ille manu telóve breui molimina ludit
Omnia, vel flexu coniectos effugit ictus.
Quæ tibi mens, quis sensus erat, Rupella, videnti
Talia? namque tua de vita & sanguine certant.
Pars petit auxilium clamoribus, Angla supremis
Pars signa expandit muris, pars sydera vana
Sollicitat prece. vota Deus temeraria damnat.
Excepit sonitum longe immanemque fragorem
Subbisij longæua parens. fama ipsa pauenti
Detulit Oceanum late considere in ignes,
Arceri classem, & prohiberi littore natum.
Exiluit tectis, gressuque accurrit anili
Murorum ad pinnas, matrum comitante caterua.
Vtque procul classes oculis pugnamque retexit,
Multa gemens, magnoque animum labefacta dolore,
Nate, decus columenque meum, & fiducia solus,
In quo Rupellæ spes inclinata recumbit,
Has oculos refer in turres, illam aspice contra
Quæ vocat, & notos matris ne despice vultus.
Duc classes, da vela notis, huc dirige cursum;
Per medias acies, ignesque, & naufraga saxa
Flecte viam, nostrumque leues populique laborem.
Quid loquor? & quæ me miseram discrimina cingunt?
Heu furiis incensa feror, me gurgitis vndæ,

Ancipitis me Martis opus, me denique terrent
Omnia ſuſpenſam, & nato patriæque timentem.
Scilicet has animam fatum protraxit in horas,
Vt patriam marcere fame, durumque ſubire
Jmperium victoris heri, proliſque tuerer
Funera, & horrificis miſceri cuncta ruinis.
Talia iactanti pugnam nox atra diremit,
Altum Angla tenuere rates; euicta dolore
Illa cadit, natoque timet, patriæque ſalutem
Deſperat, famulæ collapſam in tecta reportant.
Craſtinus vt primis ad littora fluctibus æſtus
Jncubuit, ſoliſque iubar clareſcere cœpit;
Ire iterum in pugnas, iterum torquere rudentes,
Hoſtes ardor agit, ratibuſque incendia Gallis
Moliri ſpirante Noto. Bis dena profundo
Enatat, & ſolo regitur noua machina fluctu.
Cuditur albenti ferro, diſtentaque vaſta
Mole tumet, cæcum illa latus curuaſque latebras
Seminibus flammæ impletur; poſt æquoris vndis
Creditur, aſſeribus peſtis ſubnixa ſalignis,
Quos inter neruus tanta committitur arte,
Vt ratis aduerſa concurſu & verbere primo
Laxatus flammam eliciat. Subito illa rigenti
Incluſos ferro cineres, molemque tumentem
Corripit, horrificaque ſalum tonat omne ruina.
Sparguntur flammæ, tædis affigitur ignis
Pinguibus, & toto populatur gurgite claſſes,
Si fortuna ferat; vetuit diſcrimina numen;
Et ſubijt Gallis innoxia machina arenis.

Sulphure mox grauidas puppes nitroque Britannus
Torquet agens velis, collucent ignibus vndæ.
Gallorum breuibus contra manus emicat alnis,
Flammiferamque audax classem harpagonibus vncis
Implicat, his connexa tenax longo anchora fune
In mare de prora iacitur, religatque carinas
Sub freta, quas medio depascitur æquore flamma.
In fumos abiere minæ, claßisque superbæ
Protinus in tenues spes tota euanuit auras.
Iam Lunæ ter quina noua se cornua luce
Induerant, spes Rupellam defecerat omnis.
Ac velut innitens ferula subito ruit ictu,
Qualisve excisa vitis prosternitur vlmo;
Sic pulsum auxilium vires animosque refringit.
Nulla in classe salus externa, nulla ciborum
Copia, & absumptæ pelles & gramina foßis.
Non canibus, turpique fames extinguitur esca,
Grassatur rabida in mures scrutata latebras.
Quidquid dente teri, quidquid feruentibus vndis
Molliri, vitamque potest subducere fato,
Exhaustum perijt, sedet omni in limine egestas.
Deficiunt cunctos animi, neque mœnia ciues
Defendunt, manibusque cadunt fugientia tela.
Tabentes ollis artus, & turpia tristi
Ora situ, pallens macie cutis oßibus hæret,
Squallidaque illuuie, obducit caua lumina liuor.
Arida defectus vagitibus vbera lambit
Infanti ore puer, gremioque parentis in ipso
Exspirat languentem animam. dolor oßibus ardet,

Et natum ſuper illa cadit. fugit omnis amici
Cura tori, moriturque viri inter brachia coniux
Victa fame, quam mox ſequitur comes ipſe per vmbras.
Ad tumulos pars adrepunt atque oſſa parentum,
Et nuda recubant in humo, vitamque relinquunt.
Pars ſibi ſtruxère, & viui ſubière feretrum.
Vrbe iacent poſiti tota ſine puluere manes
Innumeri, funuſque ſuum quiſque ingemit, idem
Mox numerum aucturus; ſummis iam ſtridula tectis
Strix gemit, & diro ſtygius canit omine bubo.
Nec facinus crudele fames exhorruit amens,
Progeniemque epulata ſuam, ſua viſcera mater
Dente fero, fratriſque manum ſoror impia roſit.
Infremuit ſcelere, & vultum Rupella retorſit
Deteſtata nefas, atque auerſata furorem.
Mollior & iam ſorte ſua, tot docta periclis
Martem execratur: cedit fiducia muri,
Langueſcuntque minæ; ſummiſſis debilis armis,
Expoſcit veniam, inuidioſaque mœnia pandit.
Qualis vbi dominum ſubita canis incitus ira
Dente petit, duro correptus ſtipite culpam
Agnoſcit, factique piget, caudaque remiſſa
Pacem imploranti ſimilis blanditur, herique
Voluitur ante pedes, trepiduſque ad verbera pendet.
Haud aliter Rupella ſuæ ſibi conſcia culpæ
Flectitur, & ſcelerum ad veniam, finemque malorum
Sex oratores iubet ire ad Regia caſtra;
Maximus his auo dictis mœſta ora reſoluit,
Puppibus è ſummis procul inſpectante Britanno.

Tot ſcelerum facies Rupellam & crimina fœdant,
O bone Rex, pontus non poßit vt omnibus vndis
Eluere. ingentes toties tibi mouimus iras,
Tamque diu inGallum excidium librauimus aſpris
Fulmina ahena odiis, portas obiecimus vrbis
Terquinos menſes hoſti velut; exteraque arma
Conſilio Gallis infando immiſimus oris.
Ante tuos tamen audemus procumbere vultus,
Criminibus veniam orantes, Regemque benignum
Diræ poſcentes æterna obliuia culpæ.
Viciſti, & victos palmas prætendere claßis
Angla videt, Rupella tua eſt, muroſque rebelles
Diuidimus. poſitis ſubſidant fluctibus iræ,
Tantaque nec rubeat victoria ſtrage tuorum.
Sufficiat, quòd nos traxit fortuna per omne
Supplicij genus, & pœnas conſumpſimus omnes.
Millia quod bisdena fames confecit, & vrbem
Inceſtant etiamnum vmbræ, nudoque ſub axe
Turba iacet. Nos relliquiæ & miſeranda propago
Oramus veniam, & miſeræ ſolatia vitæ.
Quod namque accedet noſtro de ſanguine nomen?
Qualia vix Europa habuit, tibi mœnia cedunt,
Victa tuis manibus ſimul Anglia, fræna dediſti
Oceano, & iactis domuiſti molibus æſtus.
Iræ pone modum, & palmam clementia quærat
Maiorem tibi, quam fuſo quæ nectitur hoſte.
Dat veniam Numen, ſcelerum ſi pœnitet, vltro.
Numinis in morem ſubiectis parce, tuiſque
Da vitam, ſolitoque bonus da viuere cultu.

Nobilis ob ciuem ſeruatum eſt gloria palmæ.
Victorem flexit ſermo. quis parcior illo
Sanguinis humani fuit, & manſuetior vnquam?
Dat veniam ſceleri, victa vota omnia gentis
Implet, & æternam immerita dat ducere pacem.
Cauſam abolet ſcelerum, pœnaſque in conſcia vertit
Mœnia. Magnanimi tanta eſt clementia Regis.

F I N I S.

E R R A T A.

PAg. 2. verſu. 1. *fontis.* ſcribe, **Fontis**. pag. 3. ver. 7. *dedicitque.* ſcr. *dedidicitque.* pag. 17. ver. 18. *artificij.* ſcr. *artificis.* pag. 22. ver. 25. *variiſque, aſſultibus.* tolle diſtinctionem. p. 38. v. 14. *fides.* ſcr. *Fides.* p. 40. v. 7. ſcr. *Rohanum.* p. 45. v. penul. *longo.* ſcr. *longâ.* p. 46. v. 8. ſcr. *opibuſque,* cum diſtinctione. p. 55. v. 2. *quòd aquis coëant.* voluit author ſcribi, *quòd aquas socient.* eâd. p. v. 3. *ducunt.* ſcr. *dicunt.* p. 65. v. penul. *externos.* tolerabilis eſt hæc poëtica ecbaſis. ſcripſit tamen & meliùs author, *extremoſ.* p. 67. v. 9. *ſequantur,* tolle diſtinctionem. p. 77. v. 26. *quam.* ſi legis, *quem,* non peccabis. p. 88. v. 26. ſcr. *interfuſa,* cum diſtinctione. p. 90. v. 5. *refluumque,* tolle diſtinctionem. p. 107. v. 16. *cæcis.* verè perdidit Anglos Angla cæcitas. ſcripſit tamen author, *cæſis.*